



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

Liber CXXVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)



HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
*LIBER CXXVIII.*

ADRIANUS VI. PAPA.  
CAROLUS V. OCCIDENTIS  
IMPERATOR.

§. I.

*Adrianus VI. Papa Genuam  
delatus.*

**H**oc anno die secunda Augusti Adria-  
nus Papa Mediterraneum mare  
ingressus, Tarracona, quæ Catala-  
niæ urbs est, profectus est, ventisque se-  
cundis usus Genuam post brevem naviga-  
tionem

Sæcul. XVI.  
A.C. 1522.  
*Ciaccon in vi-  
ta Adrian.  
VI. p. 426.*

Sæcul. XVI  
A.C. 1522.

*Duchefne  
hist. des Pa-  
pes, vie d' A-  
drien. VI.*

p. 383.

*Aug. Just.  
l. 6.*

*Foliet. l. 12.*

*Bizar l. 19.*

*Raynald. an.  
1522. n. 16.*

tionem venit, ubi nonnisi tridui moram traxit. Planxerat valde hanc urbem misere vastatam ob direptionem, quam duos ante Menses perpeffa est: his tamen insuperhabitis illius Senatus adventantem Pontificem omni, quo potuit, honore excepit. Eadem occasione Franciscus Sfortia novus Mediolani Dux, Prosper Columna & Piscarius Marchio recens electi Pontificis pedes osculo venerantes, ab eodem absolvi rogabant, si quas forte censuras in Genuensium depraedatione incurrissent: Verum Adrianus facinoris atrocitate commotus, horum submissione minime se flecti patiebatur, sed concisis admodum verbis eisdem respondit, *nec possum, nec debeo, nec volo.* Post hæc Genua profectus Liburni portum ingrediebatur, ubi a Medicæo Cardinale, ac quinque aliis Italiæ Principum Legatis, necnon a Francisco Gonzaga Pontificii exercitus Duce perhonorifice exceptus, atque ab iisdem ad veterem civitatem deductus est, cui excensionem facienti Pompejus Columna, & Franciscus Urfinus Cardinales, quos sacrum Collegium Legatos decreverat, occurrerunt, eumque sub umbraculo usque ad Ecclesiam conduxerunt. Postera die conscensa navi cum duodeviginti triremibus Ostiam pervenit, ac Tiberi vectus monasterium S. Pauli

Pauli petiit, in quo pernoctans die vigesima octava Augusti mitram, sacram- Sæcul. XVI  
A.C. 1522.  
que trabeam induit, Pontificio ornatu  
Romam ingressurus.

## §. II.

*Adrianus Romam ingressus.*

Alter die vigesima nona ejusdem mensis Papa Romam ingreditur, & Cle- Pallavicin.  
hist. l. 2. c. 3.  
ro, populoque Romano eum comitantibus, solemni pompa in Vaticanum deducitur, ipsumque Altare majus accersit, ubi cuncti Cardinales, ac denique ceteri omnes nulla habita dignitatis ratione promiscuo ordine illius pedes deosculabantur. Ad vesperam equo conscenso, cum pileo ac stola ad Basilicam S. Petri processit, Judæorum plateam, & aciem Campi Floræ præter-  
vectus. Dein ad templum Vaticanum delatus, solitum occupabat locum, ac rursus a Cardinalibus consuetos submissionis honores accepit, qui improprio nomine *adoratio* dicuntur.

## §. III.

*Novi Pontificis coronatio.*

Trigesima ejusdem Mensis die Adrianus in Sacello S. Andreæ rem divinam Pontificali ritu peregit, atque Ciacon. l. cit.  
Onuphr. in  
vita Pontif.  
*Hist. Ecclesiast. Tom. XXXIV.* O Car-

**Sæcul. XVI.** **A.C. 1522.** Cardinale Cornaro ad gradus Basilicæ S. Petri thiarum recepit, solemnique pompa coronatus est. Peractis hisce solemnibus totum sacrum Collegium in aula Innocentii VIII. prandio excepit, prohibuitque, ne arcus triumphales, ut Romani ea die solebant, erigerentur, cum vero eorum quidam jam pene confectus quingentorum solidorum sumptu excitaretur, illius structuram interrumpi præcepit, dicitans, *quod triumphales arcus gentilitios potius ritus, quam Christianos & Religiosos decerent.*

## S. IV.

*Caraffa & Cajetanus ad restaurandam morum disciplinam selecti.*

In ipso adventus sui in urbem exordio Adrianus primas eo curas intendit, ut Clericorum mores corrigeret, ac Ecclesiæ disciplinam restauraret. Hanc in rem duos selegit Viros meritorum excellentia, ac probatæ virtutis fama longe celeberrimos, quorum primus erat Joannes Petrus Theatinus Archiepiscopus, Theatinus vulgo dictus, alter vero Marcellus Cajetanus Thienæus. (\*) Horum consilia rogabat Adria-

(\*) Hunc non fuisse Cajetanum Thienæum obler-

drianus, eorumque sententias sequebatur, moxque ac illi quamdam morum corruptelam indicabant, illam tollendi media cum eis solerter disculit, eaque effectui dare sponndit: Cum vero ex perversa Indulgentiarum prædicatione, illarumque frequentia primæ incendii Ecclesiam devastantis scintillæ prodiiissent, ad abolendos ejusmodi abusus primo animum adjecit, revocavitque facultates Fratibus Minoribus concessas, quibus eis permittebatur indulgentias promulgare pro Vaticani templi fabrica.

Sæcul. XVI.

A. C. 1522.

## §. V.

*Adrianus a quæstus studio omnino alienus.*

Præterea Pontifex munia, ac Romanæ curiæ officia vendere prohibuit, quamvis sub ejus Prædecessore, quamprimum vacassent, venderentur, atque ejusmodi quæstus licitus crederetur. Præterea Dataria exactiones moderabatur, Coadjutorias,

Ciaccon. to. 5.

p. 426.

Raynald.

ann. 1522.

n. 19.

observat Pallavicinus loco a Continuatore allegato, ipsumque Spondanum in hoc hallucinatum fuisse notat. Binner in suo apparatu part. VII. cap. 2. art. 4. n. 135. Hunc appellat *Marcellum Gazelium Cajetanum.*

**Sæcul. XVI**  
**A. C. 1522.**

jutorias, & regressus abolebat, remque eo deducebat, ut ad Ecclesiasticas dignitates nonnisi idoneis, Virisque morum probitate commendandis pateret aditus. Concesserat nepoti suo septuaginta aureorum beneficium, cum vero ad sustinendum Pontificii Nepotis honorem tenues adeo proventus minime sufficerent, & nonnulli nobilitate generis conspicui eidem pinquius Sacerdotium conferri rogarent, nequaquam exorari potuit, in hanc prorumpens vocem, *cuperem homines beneficiis dare, non beneficia hominibus.*

§. VI.

*Urbinitis Dux in gratiam Pontificis restitutus.*

**A**rdens hoc disciplinam restaurandi studium nullatenus Adriani sollicitudinem præpediebat, quo minus temporale etiam Ecclesiæ bonum procurare, atque eidem inique erepta vindicare intentus esset: Recuperabat enim Ariminum, quod Sigismundus, & Pandulfus Malatesta usurpaverant, eosque armorum vi ad urbis hujus restitutionem compellebat, non equidem bellandi aviditate stimulatus, sed religione ductus, qua ad Ecclesiæ Romanæ fulcimentum fore necessarium arbitrabatur.

tur, ut iniquos Ecclesiastici domini de-  
 tentores, quod sponte sua reddere recu-  
 sabant, armorum potentia vel invitos  
 cogeret. Nec in his tamen semper om-  
 ni cum rigore sibi satisfieri postulabat;  
 quippe concessa Urbinatis Duci ve-  
 nia, eundem a censuris, quibus a Leo-  
 ne X. percussus erat, liberavit, rursum-  
 que pro ejus Ducatu investituræ diplo-  
 ma impertivit, addita tamen hac clausu-  
 la, *salvis juribus in contrarium*. Itidem  
 Alphonsum Estensem Ferrariæ Ducem  
 in gratiam recepit, concessisque Ponti-  
 ficiis literis eidem denuo omnium, quæ  
 ante bellum inter Leonem X. & Gallos  
 habuerat, possessionem asseruit. Nec  
 his contentus, eidem ad hæc Finarium,  
 & Sancti Felicis oppida, quæ idem Dux  
 vacante Sede occupaverat, adjecit.

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1522.

§. VII.

*Bellicus Solimani apparatus pro Rhodi  
 expugnatione.*

Interim Solimanus Turcarum Impera-  
 tor felici Belgradensis obsidionis  
 successu elatus, Rhodum quoque cinge-  
 re statuit. Erat tunc numero quadra-  
 gesimus tertius supremus Ordinis S.  
 Joannis Jerosolymitani Magister Philip-  
 pus Villerius ex antiqua Liladami fa-  
 milia natus, qui successerat anno priori

Belcar. l. 17.  
 n. 32.



Sæc. XVI.  
A.C. 522

Fabritio Carreto, ac Rhodi sedem fixerat; verum ejus electio toti Equitum Ordini funesta accidit.

§. VIII.

*Supremus Magister a Cancellario  
Ordinis proditus.*

*Jacques de Bourbon re-  
tation du  
Siege de  
Rhodes  
Jac. Bosio.  
c. 19. Et seq  
Belcar. l. 6.*

Contigit tunc temporis, ut Adrianus Amaralus Ordinis Cancellarius, cum supremum Magisterium omni nisu ambiret, ob sui neglectum tam insana indignatione commoveretur, ut Rhodum Insulam Solimano tradere decerneret, hancque in rem quemdam Turcam, quem in nupero bello captum mancipii loco habebat, ad Solimanum ablegaret, eique epistolam deferendam committeret, qua Imperatorem de Statu Insulæ, locisque minus firmatis atque ad oppugnationem magis commodis certiores reddidit. Itidem, insulam exigua militum manu muniri, significabat, nihilque eorum omittebat, quibus Solimani animum jam satis aliunde propensum ad hanc expeditionem excita- ret, accessit insuper cujusdam Judæi Medici perfidia, qui a Solimano Rhodum, ut eam exploraret missus, singulis ferme diebus ad Imperatorem de urbis statu ac viribus literas dedit, quas Græcus quidam patria Chiensis Constanti-  
nopolim

nopolim transmisit. Solimanus hisce notitiis usus, terra marique exercitus contraxit, ac terrestri Bascham Mustapham Sororium suum, classi vero pro summo Navarcho Curtogolum Piratam præfecit. Demandabat etiam obsidionis curam Achmeti Baschæ, ac denique Pyrrhum veteranum Governatorem nominabat, ut Mustaphæ a consiliis esset.

Ut vero suos Baschas ad rem strenue gerendam, suosque milites ad fortiter dimicandum animaret, his verbis usus est: Facili, quam aggredior, expeditione, amplissima vobis gloriæ occasio offertur; nam urbis præsidium exigua Equitum manu constat, nec auxilia a Principibus Christianis timenda; bellis enim intestinis impliciti sunt, cum Venetis quoque pax mihi est: Turpissimum autem foret, si parvum privatorum numerum, ac speluncam latronum in medio Turcarum imperio diutius tolerarem, qui tamen meos portus, insulas, populosque adjacentes impune identidem infestant. Memini me reperisse in monitis Selimi Patris mei, ad res Imperii Ottomanici stabiliendas necesse esse, ut Belgradum & Rhodum occuparem, jam ergo priorem urbem feliciter expugnavi, nunc & alteram brevi me subacturum confido.

**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1522.**

§. IX.

*Magni Magistri apparatus ad strenuam Insulæ defensionem.*

*Jacques de Bourbon. l. c. p. 632 dans la nouvelle histoire de Malthe to. 2.*

**H**aud segnior pro parte sua supremus Rhodiorum Magister comperto ingenti Turcici Imperatoris apparatu cunctis iis provide prospexit, quæ ad validam urbis defensionem necessaria judicabat; nam ex Cretensi Insula, necnon ex Neapolitano & Siculo regnis magnam frumenti, vini, pulveris pyrii, armorumque apparatus advehebat, & in Cretam ablegabat secundi Ordinis Equitem, ut is quingentos Sagitarios conduceret, qui tum Mercatorum, tum nautarum vestes induti Cretensis Gubernatoris solertiam fallere jubebantur; hic enim Solimani potentiam veritus, sonantibus tubis, indictaque corporis poena prohibuit, ne suorum quis Magni Magistri stipendium mereretur, aut Insula excederet. Nihilominus Rhodiensis Procurator ad suas partes pertraxit Gabrielem Martinengum nobilem Brixianum, & militarem Architectum longe clarissimum, qui nequidem salutato Gubernatore discessit, ac Rhodum perveniens postulata Cruce in censum Equitum cooptatus est.

§. X.

## §. X.

Sæcul. XVI  
A.C. 1522.

*Equites a Magistro ad omnes Europæ Principes auxilia rogatum missi.*

Insuper supremus Magister Equites suos ad omnes Europæ Principes decernebat, qui summum Pontificem, ac Christianos Principes ad opem prompte ferendam toto studio inclinarent. Verum, uti Solimanus probe prospexerat, frustranei erant eorum conatus; quippe Carolus V. in Italia bello adversus Franciscum I. implicabatur, Papa vero Sedis Apostolicæ copias, quibus ad Cæsaris opem indigebat, ad exteram expeditionem vertere noluit. Equidem Galliarum Rex Equitibus copiam fecit, ut omnes naves, quæ in Provinciæ portibus hærebant, armis instrui curarent, verum Gubernatores & Navarrhi, Regis iussa exequi recusabant, veriti, ne Cæsar eos hostiliter invaderet, qua excusatione percepta Equites mox ad Regem contenderunt, nova eaque magis seriva ab eo mandata impetraturi. Attamen tempore incassum hisce tergiversationibus consumpto, Solimani classis in altum procurrere parabat.

Raynald. an.  
1522. n. 27.

Sæcul. XVI.

A. C. 1522.

§. XI.

*Solimani Turcarum Imperatoris epistola ad magnum Rhodiorum Magistrum.*

*De Vertot  
hist. de Mal-  
the to. 2. p.  
496. & suiv.*

Sultanus, ut ipse Magnum Magistrum Equitesque suo de molimine certos redderet, epistolam ad eos perscripsit duris admodum verbis conceptam: „ Latrociniis, inquiebat, quibus fideles „ nostros subditos continuo vexatis, nec „ non injuriis imperiali Majestati nostræ illatis compulsi vobis præcipimus, ut nulla mora Insulam, & Rhodi arcem nobis cedatis; si sponte id „ facere velitis, per Deum cœli terræque conditorem, per viginti sex milia Prophetarum, necnon per quatuor „ Musaphos de cœlo delapsos, ac denique per ipsum magnum Prophetam Mahomet juramus, quod vos Insula „ excedere, ejus vero incolæ persistere „ poterint, nemine vestrum ullatenus „ læso: si autem jussis nostris illico morem gerere renueritis, cunctos formidandus gladius noster absument, omnesque turres, propugnacula ac Rhodi mœnia deprimentur ad parvitatem herbæ, quæ ad radices horum omnium munimentorum crescit. „

§. XII.

## §. XII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1522.*Turcarum classis ante Rhodum  
Insulam.*

Attamen Equites hujus epistolæ info- *Spond. ann.*  
 lentia minime territi, nonnisi tor- *1522. n. 16.*  
 mentorum strepitu respondere, ac  
 libertatem, vitamque suam, si utramque  
 salvare non possunt, saltem caro satis  
 pretio vendere decreverunt. Ergo Sul-  
 tanus factis velis classem in altum pro-  
 trudit, quæ præmissis triginta triremi-  
 bus, hoc anno Domini millesimo quin-  
 gentesimo vigesimo secundo die vigesi-  
 ma sexta Junii in Rhodi conspectum ve-  
 nit, eamque sequebantur paulo post  
 quam plurimæ naves, aliæque triremes  
 copiis armisque oneratæ, adeo, ut col-  
 lectis omnibus Turcarum viribus Sulta-  
 tani classis ad quadringenta varii gene-  
 ris navigia ascenderent.

Recensebat universus terrestris ex-  
 ercitus centum quadraginta armatorum  
 millia; nequidem computatis sexaginta  
 fossorum millibus, quos Solimanus ex  
 Hungariæ finibus, ac Serviciæ, Bosniæ,  
 & Valachiæ montibus contraxerat.  
 Post hæc diu deliberatum, an exigua  
 Insulæ propugnacula prius aggredi præ-  
 staret, quam tota armorum moles in  
 urbem intenderet. Præplacuit Musta-  
 phæ

Sæcul. XVI.  
A.C. 1522.

phæ Belliduci urbis primo expugnandæ consilium, quocirca Rhodus in æstis armis cingitur, jamque obsidionales ad urbem accessus tam prope ducuntur, ut tormentorum ictus mœnia attingerent: Unde Turcæ aciem latius distendere valentes tormentorum suggestum erigebant, quem tamen Equites brevi everterunt, tam copioso grandine diu noctuque ex urbis tormentis plumbeos majoris ponderis globos ejaculantes, ut cunctos Barbarorum aggeres impune disjicerent. Ex infracta hac Equitum virtute Turcæ sinistram prorsus obsidionis successum sibi augurabantur, & non nisi reluctantes, ac in apertas indignationes effusi ad pugnam trahebantur.

§. XIII.

*Turcæ Solimani adventu ad proseguendam Rhodi obsidionem animati.*

*Ext. Chalcond. edit. & apud Schard. Oper. hist. t. 2*

Acceperat negotium Peri seu Pyrus Bassa, ut Solimanum de obsidionis successu exacte edoceret. Hic ergo pro demando sibi munere, totum exercitum animo fractum significabat, ac Imperatorem iterum iterumque obtestabatur, ut militum animos præsentia sua accenderet. Accepto nuncio Solimanus

us

nus nulla mora cum quindecim arma-<sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 torum millibus Lyciam contendit, ac <sup>A. C. 1522.</sup>  
 Portum Fischum ingressus cum navibus  
 suis tanta celeritate mare emensus est,  
 ut die vigesima octava Mensis Augusti  
 in castra perveniret. Vix advenerat,  
 cum protinus conscenso folio totum ex-  
 ercitus, inermem tamen, coram esse  
 juberet, quo facto suam cunctis igna-  
 viam exprobrans, eos infauſta manci-  
 pia ipsis foeminis imbecilliora, magis-  
 que timida appellitabat, jamque in eo  
 erat, ut una omnes a quindecim suorum  
 millibus, quos secum adducebat, truci-  
 dari juberet, illique Solimani jussa exe-  
 cuturi jam jam enses nudabant, oppor-  
 tune tamen Pyrus Bassa summa demis-  
 sione Solimanum supplex rogabat, ut  
 veniam impertiretur militibus, qui mul-  
 tis alioqui illustribus factis clari, etiam-  
 num commissam ignaviæ culpam pro-  
 prii sanguinis effusione expiare parati  
 essent. His verbis placatus Solimanus,  
 cunctis vitæ veniam fecit, exercitum-  
 que dimisit, cui tam severa objurgatione  
 animum reddidit.

Jam solidus effluxerat mensis, quo  
 varias urbis partes ingenti tormento-  
 rum numero diu noctuque quater ce-  
 satum nunquam: Ubi vero obsessi pul-  
 veris pyrii penuria laborare cæperant,  
 urbsque ad exiguum dimicantium nu-  
 merum



**Sæcul. XVI.** merum redigebatur, proximam sui rui-  
**A.C. 1522.** nam impendere præsentiebant, præfer-  
 tim cum nulla ferme præteriret dies,  
 quæ non quodam assultu, ac plurimo-  
 rum utrinque clade funestabatur, ubi  
 tamen Equitum jactura ob exiguum  
 fuorum numerum semper magis noxia  
 erat, & in una sola Turcarum irruptio-  
 ne supremus rei tormentariæ Præfe-  
 ctus, Argillemonti Eques triremium Na-  
 varchus & Eques Mausella Magni Ma-  
 gistri vexilifer, præter alios quampluri-  
 mos desiderabatur.

## §. XIV.

*Turcarum sententia de urbe quatuor  
ex partibus invadenda.*

**Jacob Fon-**  
**tani de bello**  
**Rhodio.**

**S**olimanus, cum Janisaros ob tot ag-  
 gressiones incassum tentatas, ac in-  
 gentem fuorum cædem animo dejectos  
 cerneret, belli Senatam habuit, in quo  
 decretum, undique in urbem impetum  
 esse faciendum, unoque tempore qua-  
 tuor diversas murorum partes aggre-  
 diendas. Præfigebatur huic assultui  
 dies vigesima quarta Septembris, &  
 Sultanus militibus suis novos animos  
 inditurus, præconis voce proclamari  
 jussit, Rhodum deprædandi copiam eis  
 fieri, si urbem armis caperent. Com-  
 perto hoc Turcarum consilio supremus  
 Magister

Magister omnes obibat stationes, ac Equites atque cives adhortabatur, ut aut vincere, aut mori parati essent.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1522.

Ergo, ut statutum, ita Turcæ quatuor ex partibus simul urbem invadunt; priusquam vero irruptioni initium darent, ad dilatandas murorum ruinas assiduam tormentorum tempestatem effundunt, nec tamen inde fracta erat Equitum virtus, imo augebatur militum animus, dum magni Magistri fedulitas in confirmandis suorum animis ad omnes ordines intenta discurrebat. Accessit fervens Sacerdotum ac Religiosorum studium, necnon senum, infantum, imo & ipsarum quoque ardor mulierum, quæ pariter periculi sociæ fieri cupiebant, qua perspecta istorum constantia Turcæ animo ceciderunt. Fertur, quod quædam foemina natione Græca, ubi Procum suum, centuriæ itidem Græcæ Tribunum, fuisse trucidatum comperiisset, proles suas tenerrimo amplexu constrictas, signo crucis signaverit, easque hunc in modum fuerit allocuta, „ Filii mei carissimi! expedit vobis, ut „ meis potius manibus, quam hostium „ nostrorum gladiis occisi moriamini, „ quibus dictis mulier arrepto cultro eos jugulavit, postmodum vero Amasii sui vestes adhucdum ejus cruore manantes induta, ac ferreo baculo munita forti animo

nimo

Sæcul. XVI.  
A.C. 1522.  
nimo in medias Turcarum acies irruerit, atque ultra sexus sui conditionem stupende virtute dimicaverit, donec tandem & ipsa perimeretur. Tanto pugnantium ardore fuorumque cæde deterriti Turcæ, ab assaltu desistere compellebantur, toto pedum studio ad obsidionales fossas regressi: Solimanus vero, ut fugæ ignominiam honestaret, sui que exercitus honori consuleret, receptui canere iussit, maximo fuorum dispendio, ex quibus præter plures eosque nobilissimos Belliduces plusquam quindecim millia ad ipsas murorum ruinas, vel ad ima urbis ceciderunt. Nec minor erat Rhodiorum clades, spectato exiguo eorum numero; quamplurimi enim trucidati, atque ex illis, qui mortem evaserant, prope omnes vulnerati erant, adeo, ut pauci admodum superessent, qui militari munere suo fungi possent.

## §. XV.

*Solimanus ob sinistrum assaltus successum in rabiem actus.*

*Jac Bosius  
c. 20. & seq.  
Jacques de  
Horbou. l. cit.*

Solimanus ob adversum hujus expeditionis successum spe in rabiem versa, tam impotenti ira commovebatur, ut parum abfuerit, quin furore ac indignatione abreptus ipsum Mustapham Sororium

rium suum hujus belli auctorem neci Sæcul. XVI.  
 addixisset. Referunt Scriptorum non- A. C. 1522.  
 nulli, latam in eum fuisse sententiam,  
 ut sagittis transfigeretur, jamque palo  
 ad subeundum extremum supplicium  
 fuisse alligatum, Pirum tamen Bassam  
 sententiæ executionem differri jussisse,  
 donec ad Sultani pedes provolutus, a  
 amico suo vitæ veniam deprecaretur.  
 Verum Solimanus, quod ejus jussa fuis-  
 sent neglecta, vehementiori ira accen-  
 sus, quantocius Pirum ad idem sup-  
 plicium condemnavit, atque ambo hac  
 pœna mulctati obiissent, nisi Solimanus  
 Bassarum suorum lacrimis commotus,  
 a furore suo remisisset, & utrique ve-  
 niam indulgisset, ea tamen lege, ut Mu-  
 stapha nunquam ejus conspectum su-  
 biret.

## §. XVI.

*Solimanus obsidionem solvere para-  
 tus, sed a proditoribus con-  
 firmatus.*

Sultanus de capienda urbe desperans,  
 jamjam obsidionem solvere decreve-  
 rat, armaque, & suppellectilem pleri-  
 que convasabant, cum transfuga, Alba-  
 niæ miles, clam ex urbe sese subdu-  
 cens Solimanum moneret, quod omnes  
 fere Equites aut cæsi, aut vulnerati, mi-  
Hist. Eccles. Tom. XXXIV. P lites

**Sæcul. XVI** lites quoque ad pugnandum impotes fo-  
**A. C. 1522.** rent, ipseque supremus Ordinis Magi-  
 ster omni ope & opera destitutus in ex-  
 tremo discrimine luctaretur. Accessere etiam literæ ab Amaralo Cancellario scriptæ, quibus obseffos ad incitas omnino redactos esse, Sultano significabat. Hujus rei fama toto exercitu divulgata, Turcarum animos prædæ spe ad redintegrandam oppugnationem alacres reddidit, ipse quoque Solimanus aut urbem in suam potestatem redigere, aut ibidem mori decrevit, moxque Achmetem Bassam in locum Mustaphæ, qui in Ægypti Præfectum creatus illic navigavit, summum totius exercitus Imperatorem constituit.

## §. XVII.

*Obsidio per Achmetem Bassam Mustaphæ subrogatum continuata.*

*Jacq. de Borb. l. c. Fontan. hist. belli Rhod.*

Achmetes, cum operum bellicorum scientia clarissimus esset, longe alio, quam Mustapha obsidionem urgendi modo utebatur: ut vero suorum militum sanguini parceret, in fossorum opera, ac cuniculis consilium quærens, ante obsidionales fossas densum aggestæ terræ murum erigi jubebat, quem tormentorum globi ex urbe emissi impune ferirent,

rent, quo facto milites sui tentato assul-  
tu usque ad dejecti muri hiatum pene-  
trarunt, sed novis, quæ tormentis mu-  
niebantur, propugnaculis mox inde re-  
pulsi sunt, ipso Martinengo architecto  
militari in uno oculorum vulnerato.  
Post hæc nulla præteribat dies, quæ no-  
vo certamine insignis non esset, ac inso-  
litæ fortitudinis specimina utrinque e-  
dita non videret. Interea triginta qua-  
tuor dies Martinengus ex vulnere de-  
cumbabat, quo toto temporis interval-  
lo supremus Magister in quodam mu-  
nimento hæsit, nec inde pedem movens,  
dies noctesque infomnes traxit, cujus  
exemplo ceteri quoque Equites anima-  
ti singulis diebus vitam suam extremo  
discrimini exponebant, cum interim A-  
maralus nil intentatum inausumque re-  
linqueret, ut Rhodi ruinam accelera-  
ret, totiusque Ordinis excidium pro-  
moveret.

## §. XVIII.

*Amarali proditio detecta, ac  
multata.*

Tandem vero detecta est Amarali per-  
fidia; jam enim a longo tempore  
animadvertentibus plures, quod Cancel-  
larii servus nomine Blasius Diez, circa  
meridiem cum arcu ad mænia conten-  
deret.

Jacq. Borb.

l. cit.

Bosius hist.

l. 20.

Secul. XVI deret. Equidem nil mali primo suspi-  
A.C. 1522. cabantur quamplurimi, eo quod ille E-  
 quitum præcipuo a primis servitiis ef-  
 fet: tandem vero, cum hic insolitam ejus-  
 modi industriam singulis diebus, eadem-  
 que hora adhibere notaretur, quid de-  
 mum ageret, exploratum, moxque in  
 scelere deprehensus carceri datur. Ca-  
 ptus illico fatebatur, se plures Domini  
 sui literas arcus ministerio in Turcarum  
 castra jecisse, ut inde, quis urbis status  
 esset, cognoscerent. Confessione facta,  
 Cancellarius comprehenditur, Turrique  
 S. Nicolai includitur. Dein nominan-  
 tur duo magnæ Crucis Equites, qui  
 juncta cum Castellanis Judicibus opera  
 judicii acta instruerent. Interrogatus  
 crimen negabat, ac cum famulo suo tan-  
 quam sceleris teste compositus, eun-  
 dem pacata prorsus mente auscultabat,  
 ac se reum esse perfricta fronte negans,  
 duntaxat agebat: hic est *Velliacus*, quod  
 Hispano idiomate idem sonat, ac sordidus  
 homo. Ergo, ut ad legis præscripta  
 judicaretur, excipiebatur cujusdam E-  
 quitis testimonium, ad quem Amaralus  
 eadem die, qua Villerius Liladamus Ma-  
 gister erat renunciatus, hæc verba dixe-  
 rat: Hic postremus erit Magister, qui Rho-  
 di sedem habebit. Producebatur itidem  
 testis quidam Sacellanus Græcus, qui  
 hæc deferebat; ego quadam die Alver-  
 niæ

niæ aggerem transii, ibidemque Cancellarium, ejusque famulum remotis arbitris colloquentes reperi, qui ultimus arcum sagitta, cujus mediæ parti complicata quædam epistola alligata erat, armatum gestavit, cum vero per muri fenestram ad explodenda tormenta apertam Cancellarius me vidisset, ex me, quem hic quærerem, sciscitabatur, nullo tamen dato responso mox inde recessi.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1522.

§. XIX.

*Amarali Cancellarii, ejusque Servi supplicium.*

Auditis hisce testibus Judices adversus Cancellarium, ejusque famulum judicii acta conficere festinabant, amboque morti addicebant: igitur die sexta Novembris servus laqueo suspendebatur.

Jacq. Bourbon. relat. des  
Siege de  
Rhodes p.  
665.

Hic erat natura Judæus, sed tamen suscepto Baptismo proximus patibulo se in Christi fide, quam amplexus erat, usque ad finem perseveraturum palam profitebatur: Cancellarius vero, cum facinus constanter pernegaret, tormentis subjectus, solum fatebatur, se dixisse Liladamum forte postremum Rhodi Magistrum fore, id vero ea ex causa, quod adversus Turcarum potentiam, qui jam tum obsidionem minitabantur, Insulam ab eo, utpote animo ac prudentia de-



**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1522.**

stituto defendi posse, desperasset. His addidit, quod nequaquam ejus sermo, quem indignatio ob amissam aucupandi Magisterii spem concepta temere extorserat, juxta corticem interpretandus, nec inde crimen eruendum foret, ob quod carnificum manibus tradi promeretur. Nihilominus tam validis testium indiciis convincebatur, ut tandem, licet scelus constanter inficiaretur, nobilitatis gradu dejectus, necnon Ordinis veste exutus, sæculari judici committeretur, a quo in vincula conjiciebatur. Postera die, quæ erat octava ejusdem Mensis Novembris, haud procul a *Cruce de Padella* ad ferale pegma ductus capite plexus est, nullo dato Christianæ fidei signo, imo nec veniam a Deo postulare, nec imaginem Beatissimæ Virginis a Sacerdote ei assistente ostensam venerari voluit. Corpus ejus in quatuor partes dissectum ad quatuor aggeres, qui hostium impetu magis dejecti erant, Turcarum conspectui exponebatur.

§. XX.

*Turcarum progressus in expugnanda urbe.*

Hujus supplicium adeo non urbis ruinam avertibat, ut etiam Solimanus majori quam unquam furore illius expugna-

pugnationem urgeret. Præstolabantur Equites quasdam ex Francia suppetias; nonnulli enim Nobiles Massiliæ duo navigia milite, armisque instrui curabant, ast eorum alterum prope Monæcium aquis haustum, alterum autem tempestatum vi jactatum in Sardiniae ora ad scopulum allidebatur. Defecerant quoque promissa Anglorum auxilia, adeo, ut tota belli moles soli Ordinis Magistro, indigenisque ejus militibus impenderet, quorum tamen potissima pars occubuit, ac reliqui aut vulnerati, aut viribus exhausti erant.

Interea Achmetes, cui obsidionis cura incumberebat, suggestum septemdecim tormentis munitum erexit, quibus Italorum aggerem quatiens, eundem penitus disjecit. Præterea illius Fossore murum perfodientes ad ipsa etiam munimenta penetrarunt, quam ob rem Equites magis ad interiora urbis loca sese recipere compellebantur. Pari quoque successu Turcici exercitus Dux in Anglorum aggerem tormentorum emissionibus per aliquot dies continuatis detonabat, quamvis illum Equites toto obsidionis tempore sibi vendicassent: Dein trigesima Novembris die Turcæ Hispanorum aggerem assultu tentato adoriebantur, nihil remorati grandinantes obsessorum sclopos ac tubos, voli-

P 4 tantes-

Secul. XVI,  
A.C. 1522.

Sæcul. XVI.  
A C. 1522.  
tantesque grandioris plumbi globos; quippe Rhodienses, cum sola desperatio eorum audaciam acueret, in Turcas toto impetu effusi collato pede dimicabant, æquato utrinque decore ac dispendio, nisi quod opportune nubes in tam copiosum effunderentur nimbum, ut repentinus torrentum affluxus terram, quæ oppugnantium fossas tegebat, secum abriperet, quo facto Christiani barbaros ingenti cæde prosternebant, omnesque, qui tormentorum rabiem effugerant, præcipiti pedum studio obsidionales fossas, castraque peterent, eorum Belliducibus nequicquam minis fugam cohibere nitentibus.

## §. XXI.

*Deditionis pacta a Solimano Equitibus proposita.*

*Jac. Bosius  
hist. Hospit.  
tom. 2. l. 18.  
19. 20.*

*Jac. Font. in  
hist. obsid.  
Rhod. apud  
Bzovium hoc  
anno n. 12.*

Solimanus primam victoriæ fiduciam tam sinistro successu eludi indignatus, per plures dies suo tentorio inclusum sese tenebat, nemine ad alloquium admissio; tandem vero resumpto spiritu Piri Baschæ consiliis faciliores præbebat aures. Hic ei auctor erat, ut Magnum Magistrum ad deditionem sub clementiæ obtentu invitaret. Ergo Pirus plures in urbem epistolas Turcarum Imperatoris nomine scriptas immisit, quibus

quibus incolas ad spontaneam deditio- Sæcul. XVI.  
 nem adhortabatur: imo non multo post A.C. 1522.  
 Genuensem quemdam, nomine Hiero-  
 nimum Monilam ablegavit, qui eadem  
 Rhodiis suaderet, moneretque, ut extre-  
 ma, quæ ipsis jamjam imminerent, mala  
 a se averterent. Ast cum supremus Or-  
 dinis Magister ejusmodi propositiones  
 respueret, Genuensis quantocius ad Tur-  
 carum castra remittebatur, rediit ta-  
 men biduo post, inquiens, quod literas  
 a Solimano datas deferret, verum mi-  
 noris sclopi ictibus repellebatur, eo-  
 demque modo excipiebatur quidam Al-  
 banensis, qui eadem nunciatum adve-  
 nerat. Nec tamen suo successu carue-  
 re ejusmodi literæ, ac frequentes lega-  
 tiones; incolæ enim palam contestaban-  
 tur, se solos, cum de salute sua, sua-  
 rumque conjugum, ac prolium agere-  
 tur, exclusis Equitibus cum Solimano  
 concordiam inituros, si Magnus Magi-  
 ster pro se pacis condiciones recusatu-  
 rus esset. Dein Episcopum supplices  
 adibant, ut Magistro exponeret, quod  
 idem, nisi brevi cum Sultano deditio-  
 nem pacisceretur, Ottomanici furoris  
 victima foret, suisque oculis non sine  
 ingenti animi sui mærore Ecclesias pro-  
 fanari, sacras Reliquias conculcari, nec  
 non uxorum ac Virginum pudicitiam  
 militum insolentiæ exponi cerneret.

Sæc. XVI  
 A C 1522.

Magister iteratis suorum precibus ultra resistendo impar, consilio habito incolarum postulata proposuit, omnesque, qui præcipuas urbis stationes propugnabant, in Senatu adesse iussit, ut ab ipsis genuinum obsidionis statum edoceretur. Hi palam testabantur, quod hostis obsidionales fossas jam jam ad ducentos passus quoad longitudinem protenderit, quoad latitudinem vero ad septuaginta intra urbem eas dilataverit, cum interim ipsis desint operarii, ac exercitiores milites fuerint occisi, ut proin urbs ultra oppugnantium impetus sustinere haud posset, nisi promptum submitteretur auxilium. His perceptis ex Senatu potissimi in eam abiire sententiam, propositas ab hoste conditiones esse admittendas. Ægre Magnus Magister huic consilio cessit, Turcarum fidem sibi suspectam esse caussatus: Cum vero hæc utrinque altercatio ferveret, deferuntur ad eum literæ, quibus Solimanus Magistrum ad dedicationem provocavit, eique honestas conditiones proposuit, adjectis tamen minis, se omnia promiscuo interitu vastaturum, si urbem vi occupare compelleretur. Perlecta hac epistola sanctior Senatus necnon exercitus Dux pacta cum Turcis inire satius ducebant; quapropter Antonius Pasix, & Robertus Piruzzi

Piruzzi tanquam Legati ad Solimanum Sæcul. XVI.  
A.C. 1522.  
decernuntur, qui ad Achmetis tentoria  
admissi, juncta cum eo opera deditio-  
nis conditiones, quæ rebus undique despe-  
ratis fat proficuae erant, confecerunt.

Præcipui deditio-  
nis articuli erant.  
I. Ecclesiae nec profanentur, nec diri-  
pantur. II. Christianis tam Latini  
quam Græci ritus Religionis libertas  
concedatur. III. Non imponatur tri-  
buti nomine Christianis onus, ut eorum  
filii Janissaris adscribantur. IV. Cun-  
ctis incolis per quinquennium a tribu-  
tis, omnisque generis oneribus immu-  
nitas tribuatur. V. Cunctis, qui abire  
volunt, liberum sit per integrum bien-  
nium omnem secum suppellectilem sine  
impedimento deferre. VI. Solimanus  
Imperator naves ad Equites, & Ordinis  
Ministros in Cretam Insulam trans-  
vehendos, sub valido præsidio necessa-  
rias commodet. VII. Abeuntibus duo-  
decim dierum mora a tempore pa-  
ctio-  
nis firmatae concedatur, ut suam  
suppellectilem, Sanctorum Reliquias,  
vasa sacra, ornamenta, bona, & archi-  
va, necnon tormenta, quibus alias tri-  
remes instruere solent, secum sumere  
valeant. VIII. Elapsis duodecim die-  
bus, urbs educto milite Christiano cum  
omnibus villis ac arcibus circum positis  
Solimano tradatur, atque ad capien-  
dam

Sæc. XVI. A.C. 1522. dam urbis possessionem non nisi quatuor  
 Janissarorum millia introducantur. Præ-  
 terea ne cui contumelia vel injuria  
 inferretur, Turcarum exercitus ab urbe  
 mille circiter passus recedat. IX. De-  
 nique in datæ fidei pignus Magnus Ma-  
 gister viginti quinque Equites Solima-  
 no obsides tradat, quos inter duo sint  
 magnæ Crucis Equites, præter viginti  
 quinque ex præcipuis urbis civibus.

## §. XXII.

*Janissarorum Dux cum copiis suis  
 urbem ingressus.*

*Jacq. de  
 Bourbon.  
 p. 681.*

**H**is pactioibus die vigesima Decem-  
 bris utrinque firmatis obsides pro-  
 missi ad Turcarum castra pervenerunt,  
 eodemque tempore summus prætorianæ  
 militiæ Dux, quem Janissarorum A-  
 gam vocant, cum militum centuria ur-  
 bem ingressus, illius possessionem cepit.  
 Quinta post signatas condiciones die  
 quidam Janissari Rhodum ingressi, suos-  
 que socios visuri, quasdam domus ex-  
 pilabant, ac aliqua ex iis, quæ in na-  
 ves portabantur, diripiebant; necnon  
 potissima Christianorum templa ingressi  
 ea profanabant, quinimo in Equitum  
 valetudinarium involantes convivalia  
 ex argento vasa auferebant; verum  
 conquerente desuper Magno Magistro  
 Achme-

Achmetes Bellidux Janissarorum Præ-  
fecto significari iussit, eum vitæ pericu-  
lum subiturum, ni a militibus suis abla-  
ta restituerentur, moxque coercita est  
Turcarum insolentia.

Secl. XVI.  
A. C. 1522

§. XXIII.

*Officiosa salutatio Magni Rhodiorum  
Magistri Solimano exhibita.*

Præterea Achmetes Liladamo Magi-  
stro collocutus significabat, quod  
Sultanus peroptaret ejus alloquio frui,  
proin insalutato eo inde non recederet.  
Ergo postera die Magister Sultani ten-  
toria accessit, sed diu expectare iussus,  
tandem circa vesperam vocatur, ac post-  
quam tam ipse quam ejus Equites illum  
comitantes pretiosis omnino vestibus  
induebantur, ad alloquium admittitur,  
quem Sultanus honorifice ac perbe-  
nigne habuit, atque etiam, ne de prin-  
cipatus amissione inani mœrore, cum  
hæc fortunæ ludibria essent, confice-  
retur, hortatus est, simulque eum sum-  
morum honorum pollicitationibus sol-  
licitavit, ut ipsi adhæreret, quandoqui-  
dem ita desertus a Christianis Principi-  
bus fuisset. Liladamus vero gratis  
Sultano actis, vinci, inquiebat, fortunæ  
est, sed a tanto Principe victum esse,  
mihi honori potius quam ignominia du-  
co;

co;



Sæc. XVI. co; ceterum a religione, quam a tua  
 A.C. 1522. diversam profiteor, discedere, impieta-  
tis, & ignaviæ foret, quæ nullam ex-  
cusationem mereretur. Unde nil am-  
plius a te, Princeps potentissime, exoro,  
quam ut tuis Ministris injungere velis,  
ne discessus meus, meorumque naviga-  
tio ullatenus turbetur. Id lubenter pre-  
cibus tanti Viri datum, cui etiam Soli-  
manus manum suam deosculandam  
porrexit.

## §. XXIV.

*Magnus Magister in suo Palatio  
 a Turcarum Imperatore  
 salutatus.*

*Fac. de  
 Bourbon.  
 hist. du Siege  
 de Rhodas  
 p. 682.*

**B**iduo post, nimirum in ipso Nativita-  
 tis Christi Salvatoris festo vigesima  
 quinta Decembris die Solimanus ur-  
 bem, quam recens suo imperio subjece-  
 rat, possidendam ingressus est, ipsumque  
 Magistrum, qui suum adhuc palatium  
 incoluerat, invisit, multisque honorum  
 significationibus cumulatam etiam Pa-  
 trem suum appellavit, hortatusque est,  
 ne tristitia sese opprimi pateretur, sed  
 invicto animo adversæ fortis invidiam  
 toleraret. Referunt Scriptorum non-  
 nulli, Solimanum absque præsidio ac  
 comitatu, nonnisi unico a cubiculis Mi-  
 nistro, eoque inermi adventasse, simul-  
 que,

que, ubi Magistrum valere iussisset, dixisse, „ Quamvis huc solus venerim, validum tamen præsidium mihi deesse, haud existimes velim; mecum enim, quod toto meo exercitu mihi pretiosius est, defero fidem ac sinceritatem tam illustris Magni Magistri, totque generosissimorum Equitum fidelitatem „ postea ad Achmetem Belliducem, qui eum comitabatur, conversus dixit, „ non sine animi mei dolore bonum hunc Senem Christicolam e domo sua exire compellor. „ Verum Magister hac salutatione honoratus, unice intentus erat, ut suppellectilem suam triremibus imponeret, ac tandem ipse e portu solveret.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1522.

## §. XXV.

*Ismaelis Regis Persarum obitus.*

Quo tempore Solimanus Rhodi obfidi-  
dione distinebatur, celebris Ismael  
Sophi I, seu Rex Persarum hujus nominis primus, patre Scheilk Haidar, & Matre Usum-Cassani Filia ortus in civitate Sammagiæ haud procul Taurisio mortalitatem exiit, non nisi quadraginta & unum annos natus, quamvis alii Scriptores, illum quadragesimum quartum ætatis annum attigisse referant, ejusque obitum ad annum Domini

*Bizar. rer. Persic l. 10. versus fin. Leunclav. ann. Turc. l. 16. Et in Pandett. Paul. Jov. elog. l. 5. Spond. ad hunc an. n. 24.*

Sæcul. XVI  
A. C. 1522.

mini milletimum quingentesimum vigesimum sextum rejiciant. Hic non raro Christianos Principes incitabat, ut unitis cum eo viribus bellum Turcis inferrent, qua armorum societate facile Rhodi Insulæ expugnatio præpedita fuisset, eo potissimum nomine, quod Solimanus ejus potentiam veritus, splendidissimam ad eum legationem cum muneribus amplissimis misisset, ac universam eam Regionem, quæ Euphrati adjacet, quiete ac pacifice possidendam obtulisset, modo ipsi bellum adversus Christianos gerenti nullum negotium facefieret. Reliquit is ex duabus conjugibus quatuor filios, quorum natu major Tachmasus ætate tunc annorum duodecim, Patri in Imperio successit.

§. XXVI.

*Epistola Papæ ad Fridericum Saxonie Electorem.*

*Steid. in com. l. 3. p. 85. Labb. Conc. 20. 14. p. 402.* Interea cum Lutheri secta magis magisque invalesceret, non pauci Sacerdotes ac Religiosi propudioso Carolostadii exemplo animati desertis instituti sui legibus, votisque violatis sacrilegas inibant nuptias, palamque Lutheri errores profitebantur. His igitur morum corruptelis Adrianus Papa vehementer commotus, tantanque licentiam cohibere

hibere intentus, ad Fridericum Electorem literas perscripsit his verbis conceptas.

scul. XVI.  
A.C. 1522.

*Gratum equidem mihi accidit, cum de Conventu Norimbergensi ad finem hujus anni celebrando audirem, gratissimum vero, cum te ipsum eo quoque venturum acciperem; spes enim mihi magna est, aliquid ibi decretum iri, quod ad Republicæ salutem ac dignitatem Religionis pertineat: hanc etiam ob causam de consilio Senatus Cardinalium legationem in Germaniam decrevi, volui autem interea dum Legatus ille ad viam se pararet, Hieronymum Rorarium unum ex meis Cubiculariis præmittere, cui etiam mandavi, ut te, quem valde semper dilexi, adeat, meumque erga Christianam Rempubli-  
cam studium, ac voluntatem exponat, quemadmodum ex eodem, qui subsequetur, Legato copiosius es auditurus: hortor autem te ac peto, ut tu quoque, cum sis Imperii Princeps, cujus quidem in Imperii tutela versatur Ecclesia Romana, diligenter adlabores, ac in medium ea consulas, quæ ad dignitatem Ecclesie Apostolicæ, & ad publicam tranquillitatem pertinebunt, in eoque Majorum tuorum vestigia sequaris: & quoniam in ceteris ab ipsorum virtute non degenerasti, hinc spero, quod ne hic quidem tui dissimilis sis futurus. Hieronymo etiam in mandatis dedi, ut de his rebus tecum loqua-*

*Hist. Eccles. Tom. XXXIV. Q tur,*

**Sæcul. XVI** tur, cui *Es* fidem haberi peto. Hæc epi-  
**A.C. 1522** stola data est die quinta Octobris.

## §. XXVII.

*Norimbergensia Imperii comitia.*

*Raynald. ad  
 hunc ann.  
 n. 20.*

**D**ie vigesima sexta Novembris Ferdi-  
 nandus, qui Caroli V. tum in Hispa-  
 nia agentis frater Imperii clavum mo-  
 derabatur, edictum promulgavit adver-  
 sus omnes, qui legibus Ecclesiæ morem  
 gerere recusarent, vel ab ejus doctrina  
 recederent, promissis etiam per præco-  
 nem præmiis, quæ ejusmodi criminis  
 reos manifestanti darentur. Petebat  
 hoc edictum præcipue Lutherum, ac ex  
 sententia Principum ferebatur, qui in  
 Norimbergensibus Comitiis ad finem  
 Novembris indictis Præsidente Ferdinan-  
 do Austriaco convenerant, ubi præci-  
 pue duos articulos definiri moliebantur,  
 quorum primus erat, ut de mediis  
 Hungariæ Regnum ab impendente Tur-  
 carum insultu tuendi ageretur. Se-  
 cundus autem eo tendebat, ut Lutheri  
 hæresis reprimeretur; verum magis e-  
 rat expedita mediorum consultatio,  
 quam eorum executio.

§. XXVIII.

## §. XXVIII.

Sæcul XVI.

A. C. 1522

*Cheregatus a Papa Legatus ad comitia deputatus.*

**H**anc ob rem Pontifex comitia esse indicta edoctus Franciscum Cheregatum Interamnæ Episcopum, aliunde sibi in Hispaniis jamjam cognitum, suum internuncium designavit, eidemque præprimis mandata satis ampla, & a semetipso dictata præscripsit, quæ in pleno Principum confessu prælegeret. Dein eidem commisit epistolam ad Electores, Principes, atque Imperialium civitatum Deputatos scriptam.

*Pallav. hist.**l. 3. c. 7.**Extant literæ**Adrianæ**apud Gold.**t. 1. p. 408.**In fascic. rer.**expet tom I.**ann. 1522.**tom 1. Const.**Imper. a**Goldasto.*

## §. XXIX.

*Mandata a Papa Nuncio data, atque in comitiis proponenda.*

**H**æc erat mandatorum summa: Primo Nuncius Apostolicus exponeret, quod non sine singulari Dei providentia natione Germanus ad D. Petri Cathedram fuerit assumptus, ut apud eandem Nationem plus fidei, auctoritatisque obtineret, secundo, præcipue Imperii Principes, ut sese Lutheri erroribus omni studio opponerent, movere deberet *charitas erga proximos, qua unusquisque pro viribus studere debet errantes ab*

Q 2

*errore*

Sæcul. XVI. errore revocare. III. Nec minus eos ur-  
 A.C. 1522. geat, infamia nationis Germanicæ, & re-  
 Onuphr in spectus honoris proprii, quia degenerabunt  
 vita Adrian. a progenitoribus suis Viris Christianissimis,  
 VI. qui in Constantiensi Concilio condemnationi  
 Steid l. 4. Joannis Hussi & Hieronymi de Praga in-  
 p. 91. tersuerunt, & eorum aliqui ipsum Hussum  
 propriis manibus ad ignem duxisse dicuntur.  
 IV. Stimulet eos injuria, quæ per Luthe-  
 rum illis, eorumque Majoribus infertur,  
 cum secundum Lutherum, utpote in fide no-  
 stra decedentes, damnati in inferno essent.  
 V. Attendant finem Lutheri, quo sub colo-  
 re libertatis primo potestatem Ecclesiasticam  
 annihilare præsetulit, cum tamen eadem li-  
 bertas æque & plus militet contra potesta-  
 tem sæcularem, etiam illam enervare vult;  
 non enim illa amplius homines quibusdam præ-  
 ceptis, quantumvis justis & rationabilibus  
 ad parendum sub pœna mortalis peccati obli-  
 gare poterit; unde maxima scandala, tur-  
 bationes, & bonorum direptiones ex hac se-  
 cta sequentur. VI. Considerent Lutherum  
 consimili prope via ad seducendum populum  
 Christianum uti, qua Machometes usus tot  
 animarum millia decepit, permittendo ea,  
 ad quæ homines carnales inclinant, ac exi-  
 mendo eos ab his, quæ in lege nostra gravio-  
 ra videntur, & ut Lutherus Monachorum,  
 Sacerdotum & Deo dicatarum Virginum la-  
 scivia carnis gestientium sibi favores conciliet,  
 præ-

*prædicat, vota perpetuæ continentiæ etiam illicita esse, nedum non obligatoria.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1522.

In iisdem monitis Papa subjunxit: *Si quis forte dixerit, quod Lutherus inauditus, & indefensus fuerit per Sedem Apostolicam condemnatus, ac propterea is audire omnino debeat, talia asserenti sic respondebis, ei defensio negari non debet in his, quæ sunt facti, hoc est, utrum hæc vel illa prædicaverit, vel scripserit? illa autem, quæ fidei sunt, propter divinam auctoritatem credenda, non probanda sunt. Non debet revocari in dubium, quod per Concilia generalia, ac universam Ecclesiam constat esse approbatum, tanquam de fide tenendum, jam autem ferme omnia, in quibus Lutherus ab aliis dissentit, sunt per diversa Concilia prius reprobata, ut ipsemet cum Cardinale Cajetano colloquens affirmavit. Item, dices, nos ingenue fateri, quod Deus hanc persecutionem Ecclesiæ suæ inferre permittat, propter peccata hominum, maxime Sacerdotum & Ecclesiæ Prælatorum. Scimus in hac sancta Sede, aliquot jam annis, multa abominanda fuisse, abusus in spiritualibus, excessus in mandatis, nec mirum si ægritudo a capite ad membra, a summis Pontificibus in alios inferiores Prælatos descenderit. Qua in re, quod nos attinet, pro munere Pastoralis sollicitudinis omnem operam adhibebimus, ut primum Curia Romana reformetur.*

Q 3

Interim,



Sæcul. XVI.

A. C. 1522

Interim, nemo mirari debet, si non statim omnia errata, & abusus omnes per nos emendatos viderit. Inveteratus nimium morbus est, nec simplex, sed varius & multiplex, pedetentim in ejus cura procedendum, & prius gravioribus, magisque periculosis occurrendum est, ne omnia pariter reformari volentes, omnia perturbemus. Insuper nostro nomine promittas: quod nos de inviolabili fide omnium Concordatorum, quæ inter Sedem Apostolicam, & Nationem Germanicam erecta fuissent, nullatenus culpari possimus, nec debeamus, de processibus vero, quos a Rota advocari, & ad partes remitti postulant Principes, dices, nos cupere eis in hoc gratificari, quantum honeste possumus. Denique, diligenter, mandavit Papa Nuntio, sollicitabis responsa, & requires eos, ad quos scribimus, ut nos literis suis edoceant, quibus mediis eorum judicio videatur, ut huic pessimæ Sectæ commodius obviari possit.

Præter hæc Sedis Apostolicæ Nuntius Imperii Principibus exponere jussus est, quod in tota Germania passim Religiosi relictis suis Monasteriis ad profanum statum revertantur, Sacerdotes summo Religionis contemptu matrimonia ineant, ac quamplurima, eaque enormia scelera committant, proin omnino necessarium sit, ut ejusmodi malis reme-

remedium opponatur, sacrilega hæc Sæcul. XVI.  
 connubia declarentur invalida, necnon A.C. 1522.  
 talia contrahentes severe puniantur, ac  
 denique ejusmodi Monachi Apostatæ  
 Superiorum suorum potestati rursus tra-  
 dantur.

## §. XXX.

*Epistola Pontificis ad Electores, &  
Imperii Status.*

Commiserat idem Pontifex suo ad Co-  
 mitia Nuncio diploma ad Electores  
 cunctosque in Norimbergensi conventu  
 congregatos directum. *Considerandum*  
*vobis est, inquit Papa, Germani Principes*  
*& populi, quantam vobis ignominiam accen-*  
*seatis, nisi reprimatis hunc Fanaticum, qui*  
*omnia susque deque vertit. ac stolidis, dete-*  
*standisque ausibus scriptum Dei verbum Mar-*  
*tyrum sanguine, ac sanctorum Doctorum li-*  
*bris confirmatum, totque fortissimorum Prin-*  
*cipum armis defensum evertere conatur.* Po-  
 stea eosdem adhortatur Principes, ut  
 Majorum suorum vestigia secuti, sese a  
 falsis perditissimi hominis doctrinis se-  
 duci haud paterentur, nec errores a tot  
 Conciliis damnatos amplecterentur. *Post-*  
*quam enim, his subjunxit Papa, ad Apo-*  
*stolatus officium assumpti fuimus, testis no-*  
*bis est ille, qui nos ut immeritos, ita nil ta-*  
*le expectantes promovit, nil aliud nos diu*  
*noctaque cogitasse, quam ut in curando*

Sæcul. XVI grege nobis concredito boni pastoris partes  
 A.C. 1522. modis omnibus implemus, atque adeo nul-  
 lam existimasse e nostris ovibus tam morbo-  
 sam & a ceteris errantem, quam non per-  
 quirere, & ad Dominicam cautam reducere  
 summopere cuperemus. Et sane Christiano-  
 rum Principum animos nimis inter se dissiden-  
 tes ad pacem, & concordiam ineundam, de-  
 ponendaque arma (aut si bellandum esset)  
 ea in fidei hostes convertenda precari, hade-  
 nus nunquam destitimus. Deus scit, quan-  
 to rei nostræ familiaris, his præsertim tem-  
 poribus, incommodo pecunias & alia subsi-  
 dia ad Rhodienses milites ab immanissimo  
 Turcarum tyranno obsessos misimus.

Mox vero, profequitur Pontifex, ab  
 externis ad intejina animum advertentes,  
 non sine gravi animi molestia percepimus,  
 Martinum Lutherum post Sedis Apostolicæ  
 paterna primum monita, dein etiam post sen-  
 tentiam non absque diversarum Universita-  
 tum consilio contra eum latam, post Caroli  
 Imperatoris edictum in proximis comitiis  
 Wormatiæ habitis, non modo non a pravis-  
 simis inceptis desistere, sed etiam novos quo-  
 tidie libros errorum, hæresum, ac seditio-  
 num plenos divulgare, ac bonas animas, &  
 mores inficere, & corrumpere conari. Et  
 quod pejus est, horum suorum facinorum  
 non plebeios modo, sed & nobiles plerisque  
 habere fautores, adeo, ut in Sacerdotum  
 bona

bona iri, & obedientiam tam Ecclesiasticis, Sæcul. XVI. A.C. 1522.  
 quam sæcularibus debitam vilipendi cæptum sit, & tandem inter nonnullos vestrum ad civilia bella deventum. Etsi autem prædixerit Apostolus, oportere hæreses esse, nullum tamen videas tempus huic rei magis importunum, quam hoc; cum enim humani generis perpetuus hostis diabolus per Turcarum vires in Christianos continue debacchetur, non videmus, quo modo contra tantos impetus resistere possimus, quamdiu eundem diabolum istas hæreses domi nostræ disseminantem, interque fortissimos Germanos nostros discordias & seditiones suscitantem fovebimus.

Cum in minoribus constituti, addit Pa- Sleid. in cõm. l. 3. p. 86.  
 pa, in Hispania essemus, multa ad nos, & varia de Luthero, ejusque perversis dogmatibus frequenter perferri meminimus. Quæ ea nobis duriora videbantur, quod ex ea Regione venirent, unde nobis secundum carnem origo est. Sed solabatur nos tum rei ipsius adeo manifesta vel iniquitas, vel stoliditas, ut a nemine diu toleranda crederetur. Tum illa subinde nobis erat opinio, qua dubio procul confidebamus istas venenatas plantas aliunde in Germaniam translatas non perventuras ad frugem in ea terra, quæ acerrimos hæresum, omnisque infidelitatis hostes semper protulisset. Nunc vero postquam hæc mala arbor sive divino judicio sic populi sui peccata puniente, sive socordia eorum, qui

Q 5

ut

**Sæcul. XVI.** *ut debebant, & poterant, principio non ob-*  
**A. C. 1522.** *stiterunt, longe lateque ramos extendere cœ-*  
*pit, considerandum vobis est, Germani Prin-*  
*cipes & populi, ac providendum, ne vos*  
*per istam nimiam tolerantiam, & pristina*  
*virtutis, naturæque obliti & tanto facinori,*  
*dum illi non resistitis, consentire videamini.*  
*Omittimus, quod enormissimum est, tantam,*  
*tamque religiosam nationem per unum fra-*  
*terculum ( qui a Catholica fide & religio-*  
*ne Christiana, quam ab ineunte ætate non*  
*solum profiteri, & sequi visus est, sed mul-*  
*tis etiam annis prædicasse, ac docuisse dici-*  
*tur, novissime infeliciter apostatavit, ac Deo*  
*mentitus est ) seduci ab ea via, qua a Re-*  
*demptore nostro, ejusque sanctissimis Apo-*  
*stolis demonstrata, tot Martyres, tot*  
*præclari doctrina & sanctitate viri & Ma-*  
*jores denique vestri omnes hæcenus incesse-*  
*runt, quasi solus Lutherus saperet, & sci-*  
*ret, solus nunc primum ( ut de se hæreticus*  
*Montanus gloriabatur ) Spiritum sanctum*  
*acceperit, & Ecclesia ipsa, cum qua se fu-*  
*turum usque ad consumationem sæculi Re-*  
*demptor noster pollicitus est, in tenebris ig-*  
*norantiæ & perditionis ambagibus semper*  
*erraverit, donec novo Lutheri lumine illu-*  
*straretur. Quæ omnia apud eos, qui sa-*  
*piunt, perridicula judicantur.*

*An non, prosequitur Pontifex, con-*  
*sideratis, Germani Principes, præludium esse*  
*quod-*

quoddam eorum malorum, quæ Lutherus Sæcul. XVI.  
 ejusque Sectatores moliuntur? An non aper- A.C. 1522.  
 te videtis, istud præensum in principio a  
 Lutheranis veritatis Evangelicæ patrocini-  
 um detectum, nunc esse merum rerum vestra-  
 rum Latrocinium: An putatis alio tendere  
 istos iniquitatis filios, quam ut libertatis no-  
 mine, omni obedientia sublata, quod cuique  
 libuerit, faciendi licentiam inducant? An  
 ullius pensi jussa & leges vestras creditis ha-  
 bituros, qui sacros Canones & Patrum de-  
 creta, necnon sacrosancta Concilia non so-  
 lum vilipendunt, sed & lacerare ac combu-  
 rere non verentur? Denique qui Sacerdoti-  
 bus, Episcopis, & summo Pontifici debi-  
 tam obedientiam detrectant, an speratis  
 contenturos sacrilegas manus a Laicorum  
 bonis, & non omnia potius sibi, quæ pote-  
 runt vindicatos, qui res Deo dicatas, quo-  
 tidie vobis præsentibus & videntibus aufse-  
 runt, diripiuntque? An denique vestris cer-  
 vicibus parsuros, qui non tangendos Chri-  
 stos Domini contemere, cedere, & tru-  
 cidare ausi sunt?

Tandem sermonem suum absolvens,  
 Proinde, inquit, fraternitates & devotio-  
 nes vestras hortamur, & obsecramus, ut ad  
 commune hoc incendium extinguendum nunc  
 saltem toto animo incumbatis, & Martinum  
 Lutherum, ceterosque istorum tumultuum &  
 errorum auctores ad rectam sentiendi & vi-  
 vendi

**Sæcul. XVI.** *vendi viam omnibus modis reducere enita-*  
**A.C. 1522.** *mini. Quod si audire recusaverit juxta le-*  
*ges a vestratibus Imperatoribus latas, atque*  
*juxta recens vestrum hac super re Imperia-*  
*le edictum, s' veritatis virga in eos animad-*  
*vertatis. Dabat Romæ die vigesima quin-*  
*ta Novembris Anno Christi millesimo*  
*quingentesimo vigesimo secundo.*

## §. XXXI.

*Cheregatus Papæ Nuncius No-*  
*rimbergæ.*

*Acta conv.*  
*Norimber.*  
*Extat apud*  
*Gold in Con.*  
*Imper. t. 2.*  
*Et in fascic.*  
*rer. expet.*

**I**gitur Cheregatus his monitis, literis-  
 que munitus tanquam Sedis Aposto-  
 licæ Legatus Roma Norimbergam ad  
 Imperii comitia proficiscitur, illucque  
 exeunte hoc anno perveniens ad initium  
 Januarii Anno millesimo quingentesimo  
 vigesimo tertio in publico Principum  
 confessu comparuit, sermonemque di-  
 xit, cui præter ea, quæ in mandatis  
 habuit, nihil de suo adjecit, nisi quod  
 geminam, quam ex Lutheri hæresi rite  
 sentientes hauriebant, offensionem ver-  
 bis magis adhuc efficacibus exposuisset;  
 deplorabat enim, quod ex omnibus Ger-  
 manicæ circulis Monachi, & Virgines  
 Deo sacratæ ruptis aut vi aut astu Mo-  
 nasterii sui claustris ad sæcularem sta-  
 tum transeant, vitamque præ ipsis quo-  
 que dissolutissimis Laicis longe magis  
 scele-

sceleratam ducant, necnon Sacerdotes tot sacrilegiorum exemplis animati palam connubia ineant, ad quæ cohibenda scandala tam enormia Episcopi nec sat virium haberent, nec Magistratus potestatis suæ auxilium præbere vellent. Absoluta hac oratione Cheregatus Principibus congregatis monita, ac Pontificis diploma tradidit.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1522.

§. XXXII.

*Responsum Principum Legato Pontificio datum.*

Principes in comitiis congregati scripto responsum dabant, hunc in modum: *Serenissimus Princeps Ferdinandus comitiorum Præses, ceterique Principes de suæ Beatitudinis ad summum Apostolatus apicem electione incredibili quadam animorum hilaritate & lætitia sunt affecti, ac summo studio ex animo orant, ut sua Sanctitas in hoc sancto proposito, ut pius Pastor & Pater pergat, nilque intentatum relinquat, quo dissidentes Principes ad pacem reducat, ut instantibus Christianæ Reipublicæ periculis & Turcæ conatibus obsisti possit. Pro quo omnes Principes Germani una cum ceteris Potentatibus omni ope & opera fideliter sunt laboraturi; profitentur enim, se non minus quam Beatitudinem Pontificiam ex animo dolere, de impietatibus,*  
*anima-*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1522.

animarum periculis & incommodis, quæ in Christiana Religione ex Lutheri Secta aliisque provenerint. Quicquid enim auxilii & consilii pro extirpandis erroribus, & animarum periculis amovendis sua moderatione præstare unquam poterint, sunt pro summa in Christi Religionem pietate paratissimi, ingenueque agnoscunt, se & Pontifici & Cæsari ad omnem obedientiam esse obnoxios. Sed quod Sedis Apostolicæ sententia simulque Cæsareæ Majestatis edictum non sit debitæ executioni demandatum, non sine maximis urgentissimisque rationibus, ne pejora inde causarentur &c. hætenus prætermissum est. Majori namque populi parti persuasum est, & Lutheranis libris ac dogmatibus populorum opinio sic informata, ut jam pro comperto habeant, nationi Germanicæ a Curia Romana per certos abusos, multa & magna gravamina & incommoda esse illata, ob id, si pro executione Apostolicæ sententiæ, vel Cæsaris edicti, quicquam acerbius attentatum esset, mox popularis multitudo hanc suspicionem animo concepisset, ac si talia fierent pro evertenda Evangelica veritate, & sustinendis manutenendisque malis abusibus, impietatibusque. Unde indubie aliud nihil, quam gravissimi tumultus populares, ac bella intestina speranda essent. Opportunioribus itaque remediis in hac potissimum temporum difficultate his malis succurrendum existimant; nam quemadmodum Reverendissimus

mus

mus Nuncius fatetur & agnoscit; quod Deus Sæcul. XVI.  
 hanc Ecclesiæ suæ persecutionem inferri per- A.C. 1523.  
 mittat propter peccata hominum, pollicetur-  
 que Pontifex omnem adhibiturum operam,  
 ut primum Romana Curia reformetur, &  
 concordata Germanicæ executioni darentur.  
 Quæ res Pontificiæ sollicitudinis digna  
 foret, ac brevi populi querelas tolleret;  
 nisi enim, subjungebant Imperii Princi-  
 pes, istiusmodi abusus & gravamina, si-  
 mulque certi articuli, quos sæculares Princi-  
 pes juxta hæc specialiter designatos scriptis  
 exhibebunt, fideliter refoventur, vera pax  
 & concordia inter Ecclesiasticos, sæculares-  
 que ordines, hujusmodi tumultus, & erro-  
 rum extirpatio per Germaniam minime spe-  
 randa est. Cum autem S. R. Imperii Ordi-  
 nes in solutionem Annatarum ad aliquot  
 annos Sedi Apostolicæ solvendarum ea lege  
 consenserint, ut illa in oppugnationem Tur-  
 cæ, & defensionem Fidei Catholicæ conver-  
 tantur, cum vero annatæ illæ a Prædeces-  
 soribus Pontificibus in hunc usum, in quem  
 decreta sunt, conversæ non fuerint; ideo  
 Principes vehementer orant, ut Pontifex ve-  
 lit illa annata, quæ post obitum Episcoporum  
 ad Curiam Romanam solvenda fuerint,  
 in futurum non exigere, sed illa fisco sacri  
 Romani Imperii applicanda relinquere, ut  
 eo commodius per Germanicam Nationem  
 aliis Christianis Principibus contra Turcam  
 auxilia & præsidia præstari possint.

Cum

Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.

Cum vero summus Pontifex desiderat edoceri, quibus mediis huic Lutherano errori melius obviari valeat. Ad hæc Principes & ordines dicunt, quicquid hac in re utilitatis & auxilii præstare poterint, sunt, & erunt semper paratissimi. Ex quo autem hoc sæculum in omni Statu tam Ecclesiastico, quam sæculari corruptissimos habeat mores, sintque non tantum ex parte Lutheranae Sectæ, sed ex aliis causis multi errores, abusus & corruptelæ, ob id nullum commodius, efficacius, & oportunius remedium Imperii ordines excogitare potuerunt, quam quod sua Beatitudo accedente Cæsaris consensu, liberum Concilium ad locum convenientem in Natione Germanica, quanto celerius fieri poterit, videlicet, vel in Argentoratum, vel Moguntiam, Coloniam, vel ad civitatem Metensem vel alium convenientem locum in Germania indicare, nec ultra unius anni spacium hæc Concilii convocatio (si possibile foret) differatur, & quod in tali Concilio cuivis Ecclesiastici, vel Laicalis Ordinis liceret libere loqui, & consulere pro gloria summi Dei, & salute animarum, proque Republica Christiana, non obstantibus quibuscunque juramentis, & obligationibus.

Cum vero non minima pars istius negotii ex hac medii temporis intercapedine pendeat, hinc S. R. Imperii Principes apud Electorem Saxonica summa diligentia curare volunt,

volunt, ne Lutherus, & sui Sectatores aliquid amplius scribant, edant, & typis excudi faciant. Curabuntque, ut per omnem Germaniam cum divini verbi præconibus diligenter agatur, ne in populum Christianum spargant ea, per quæ possit popularis multitudo ad tumultum, vel rebellionem moveri, aut in aliquem errorem induci, sed quod nihil præter verum, purum, & sanctum Evangelium, juxta doctrinam & expositionem approbatam, & ab Ecclesia Christiana receptam Scripturæ doceant, & prædicent. Ordinabunt præterea Archiepiscopi, & Episcopi, aliique Prælati per suas Dioceses Viros doctos & probos, qui prædicantibus fideliter & diligenter intendere debebunt, & si quid ab illis vel erratum, vel minus idonee dictum esse offenderint, eos mansuete corrigent, hunc in modum, ne quispiam suspicari possit, quod veritas Evangelica per hoc impediri quærat. Præterea in omnibus Bibliothecis, & apud Typographos diligentissime providebunt, ne in futurum aliquid novi typis excudatur, nisi prius per Viros probos, & doctos ista revideantur, & nisi per eosdem approbatum fuerit, minime vendatur, excudatur, vel publicetur. Et per hæc media sperant, quod hoc tempore poterit istis tumultibus, erroribus, & offendiculis commodius mederi. Per hæc maxime satisfieret populari, & nunc fluctuanti multitudini; indubie enim multi probi, & boni

Hist. Eccles. Tom. XXXIV. R Viri

Sæcul. XVI.  
A. C. 1523.

*Viri Christiani futurum, & proxime indicendum Concilium magno desiderio essent expectaturi.*

Postremo de Presbyteris, qui matrimonia contrahunt, & de Religiosis, qui relictis monasteriis ad sæculum redeunt, de quibus Reverendissimus Nuncius Apostolicus inter cetera meminit, considerant Principes, ex quo in legibus civilibus nulla pœna specialiter super his sit statuta, ob id congruum visum est, ut tales per eorum Ordinarios debita pœna in sacris Canonum Constitutionibus expressa, ut puta amissione beneficiorum, & privilegiorum, aliisque pœnis condignis puniantur, donec super his omnibus publica mandata, & edicta a Cæsare fiant. Ordinarii autem illi a sæcularibus in ista animadversione & punitione minime impediuntur, sed pro tuitione jurisdictionis Ecclesiasticæ eis auxilium, & favorem impendant. Si vero illi votorum transgressores aliis delictis in ditione & territorio alicujus Principis vel potestatis sæcularis delinquerent, ex tunc debitis, & congruis pœnis puniantur, & coerceantur. Postremo Principes & Ordines vehementer orant, ut Pontifex ista omnia non aliter accipere, & intelligere velit, quam a bono, pio, sincero, & Christiano animo profecta; nihil enim est, quod tam ex animo velint, quam Statum sanctæ Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ, Pontificisque felicem incolumem, & salvum, ad cujus

vota,

vota, desideria, & obedientiam, ut fideles Sæcul. XVI.  
filii se paratissimos offerunt, & commendant. A.C. 1523.

## §. XXXIII.

*Nuncii Apostolici responsum.*

Displicuit hoc responsum Pontificis nuncio, unde huñc in modum Principibus reposuit: *Et primo quantum ad id, quod Principes dicebant, & se excusando asserebant, quod non fuerit visum, sibi* Pallav. hist. expedire, ut sententia Apostolicæ Sedis, & Trid. l. 3. Imperiale Decretum debitæ executioni man- cap. 8. n. II. *detur, ne inde contingant pejora, & acerbiora mala, ad hoc respondit Nuncius: Non satisfacit illa ratio, quod propter scandala evitanda hæc sententia ac edictum exequi non debeant. Nam non sunt toleranda mala, ut proveniant bona, & magis sunt curanda ea, quæ pertinent ad animæ, quam ad corporis salutem: Cum vero Lutherus ante sententiam Apostolicam, & Cæsareum Decretum errasset in uno, & post sententiam & edictum erraverit in longe pluribus, attento, quod indies magis cum suis sequacibus erraverit, & erret, pœnce etiam ipsæ augeri, non diminui debent. Et quantum ad responsum ipsum, ex eo imprimis offenditur divina Majestas, cujus caussa tam segniter curatur, offenditur Apostolicæ Sedis dignitas, offenditur Imperialis culminis celsitudo, quorum ordinationes tam impune*

R 2 suspens-

Sæcl. XVI A.C. 1523. *suspenduntur. Nec videntur excusandi, qui Lutherum sectantur, quod propter sibi inflicta scandala, & gravamina a Curia Romana (etiãsi verum illud esset) deberent ab unitate Catholicæ Fidei propterea resistere, & in profundum malorum se precipitare: nam omnia potius mala deberent æquo animo & patienter suslinere, quam se, & animam suam, cum salutis periculo in precipitium dare. Quare vos rogo, ut his rationibus verissimis adduci velitis, antequam vester conventus dissolvatur, omnino & firmiter statuere, quod Apostolica sententia, & Imperiale Edictum executioni mandentur sine aliqua diminutione, cum ex hac tota Germanicæ salus dependeat.*

*Quoad Annatas in Germania retinendas, reservatur responsio ipsi Pontifici, quæ dabitur vel Imperiali Regimini vel futuro Principum conventui, prout magis suæ Sanctitati expedire videbitur. De cetero Camera Apostolica semper parata est Deputatis ex Imperii arbitrio seligendis de summa pecuniarum, quæ ex Germania percipiuntur, accuratam rationem reddere, ac illos etiam, qui difficiliores ad credendum inveniuntur, convincere, illas semper in debitos usus fuisse conversas.*

*Quoad Concilium Oecumenicum, replicatur, quod illud speratur, non debere dis-*  
*spli-*

splicere suæ Sanctitati, petitur tamen, ut saecul. XVI.  
A.C. 1523.  
 illud Concilium aliis verbis magis idoneis pos-  
 suletur, & quod tollantur ea, quæ possent  
 aliquam umbram facere Sanctitati suæ, qua-  
 si debeat convocare Concilium de Cæsareæ  
 Majestatis consensu, item quod non ponatur  
 magis in una civitate, quam in alia, & si-  
 milia &c. quia nisi tollerentur ista, videren-  
 tur Sanctitati suæ ligari manus per Imperii  
 Principes, prout in voce declaratum est.

Quod Prædicatores spectat, observan-  
 dum est Papæ Decretum, nimirum, quod  
 nullus deinceps possit prædicare verbum Dei,  
 nisi prius fuerit examinatus per Episcopum,  
 & ad id munus ab eodem institutus.

De Impressoribus Lutheranorum libro-  
 rum respondetur, quod nullo pacto placeat  
 data responsio, sed in hoc sententiam Papæ  
 ac Cæsaris exequi oportet, nimirum quod  
 ejusmodi libri comburantur, imprimentes ve-  
 ro, & vendentes, vel alio divulgantes jux-  
 ta easdem sententias puniantur. Et in hoc  
 maxime peto debere adverti, nam in hoc stat  
 tota vis, nec in hoc recedendum a Constitu-  
 tione Concilii Lateranensis, qua statutum, ut  
 nullus possit aliquos libros imprimere, nisi  
 per Episcopum loci examinati ac pro Chri-  
 stianis libris habiti sint.

Denique de Clericis, qui uxores ducunt,  
 replicatur, quod quamvis Germaniæ Ec-  
 clesiæ hucusque adversus Sacerdotes &



Sæcul. XVI  
A.C. 1523

Monachos Apostatas nullas leges satis  
severas condidissent, nihilominus illa ver-  
ba, quæ in sine capituli habentur, declarari  
debent, nimirum quod illi votorum trans-  
gressores a Principe vel potestate sæculari  
puniri possent; tale enim responsum est con-  
tra libertatem & jus Ecclesiæ, nam si sæ-  
culares auderent in eos jurisdictionem exer-  
cere, esset tangere eos, qui sunt peculiari-  
ter Christo reservati: nec ob transgressionem  
voti, seu ob apostasiam præsumant credere  
Principes, tales ad suam jurisdictionem de-  
volutos esse, si delinquant in eorum territo-  
riis: cum propter talem transgressionem non  
desinant esse de jurisdictione Ecclesiæ. Quia  
cum remaneat illis character ordinis, semper  
sunt in ejusdem Ecclesiæ potestate. Unde in  
tali casu Principes denuncient illos suis Epi-  
scopis, vel aliis Superioribus, qui eos casti-  
gent, corrigant, & si opus fuerit, pro vi-  
ribus suis dictos Episcopos, seu Superiores  
brachio suo juvent, & aliis præsto sint. Su-  
per quibus omnibus & singulis peto ab S.R.  
I. Electoribus, & Principibus, ut habita  
matura deliberatione melius, clarius, sa-  
narius, & consultius respondeant.

§. XXXIV.

*Nuncii responsio Principibus minus  
accepta.*

**H**oc Nuncii Apostolici responsum mi-  
nus benigne a Principibus excipie-  
batur,



**Sæcul. XVI**  
**A. G. 1523**

super responsum petere constituebat. In his Principes sæculares omnes querendi causas, quas sibi variis temporibus a Romana Curia, statuque Ecclesiastico datas fuisse credebant, corraferunt, quibus etiam addiderunt ejusdem Curie jura in Episcoporum & Abbatum jurisdictionem, atque ex his omnibus longam confecerunt epistolam, cui titulum præfigebant, *Centum gravamina*, eoquod totidem querelas contineret.

§. XXXV.

*Centum gravamina a Germanis ad Papam missa.*

*Goldast. &*  
*in fasc. ser.*  
*ex. et.*

*Pallavic. l. 2.*  
*c. 7.*

*Sleidan. l. c.*  
*l. 4 p. 93.*

*Rayn. ad an.*  
*1523 n. 28.*

*& 42.*

*Cochl. in añ.*  
*Luth. ann.*

*1523 p. 85*

Cum Nuncius Apostolicus discessum suum acceleraret, Principes in comitiis congregati hanc epistolam ad Pontificem transmitters cgebantur, palam rogantes, *quatenus summus Pontifex onera hæc non ferenda Germanis e medio tollere ac emendare non dedignetur*, necessariis, urgentibusque ex causis se dicebant adactos, ut ab ejusmodi malis liberari omni nisu peterent. Hæc onera articulatim a Scriptoribus Germanis recensentur, nos vero impræsentiarum nonnisi præcipua adducemus, ex quibus tamen haud difficulter prudens lector dignoscere poterit, quod hoc scriptum a Lutheranis, qui in Norimbergen-

genibus comitiis abs dubio prævalebant, fuerit compositum, quippe inter ceteros haud pauci reperiuntur articuli, qui recta ad enervandam Ecclesiae disciplinam, & sanctissimos quosque Christianae Religionis actus ususque abolendos tendunt, cujus rei exemplum ex eo desumere licet, cum I. *Natio Germanica inter onera collocet, quod constitutionibus humanis multa prohibeantur, imperentur item multa, quae nullo divino praecepto vel interdicta sunt, vel imperata. Quod genus sunt: Matrimoniorum tam innumera excogitata obstacula ex affinitatis, publicae honestatis, cognatione spirituali, legalique, & consanguinitatis originem trahentia. Ciborum item usus interdictus, quae leges eousque ligant homines (inquiunt illi) donec pecunia sibi harum Constitutionum gratiam a statuentibus impetrent.*

Secundo conqueritur Natio de Indulgentiis, tanquam de importabili jugo, quo spoliata est aere Germania, & Christi pietas extincta, cujus rei rationem allegat, quia quilibet pro precio, quod in has indulgentias expenderit, peccandi impunitatem sibi pollicebatur, & quia haec pecuniae non in rem fidei, aut profectionem in Turcas, sed in propinquorum luxum, ac sublevandam Pontificum familiam versa fuerunt.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1523.

Cetera onera spectabant causas Ecclesiasticas, & querebantur, quod Papa causas profanas in prima instantia ad Romanum tribunal trahat, & iudices, quos Conservatores, delegatos ac Commissarios vocant, in jurisdictionis ordinariæ iacturam concedat. Præterea Natio læsam se dicit in Beneficiorum concessionibus, ac artibus, quibus Romana curia ad conferenda Germaniæ Sacerdotia utitur non sine præiudicio, quod Patronorum, & Ordinariorum civibus infertur. Præter hæc Germani petebant, ut etiam Annatæ abolerentur, nec illas solvere Clerus, & Ecclesiæ adstringerentur, nisi ad parandam contra Turcas defensionem. Insuper iidem ostendere nitebantur, quantum bono publico noceat immunitas Ecclesiasticis in causis criminalibus concessa: ex adverso autem postulabant, ne quisquam ob causas profanas anathematis, interdicti vero poena urbs, vel plures ob unius delictum afficeretur, nec segnius volebant, ut festorum dierum multitudo minuere-tur. Posthæc de exactionibus propter Ordines & consecrationes factis, nec non de magnis, quibus Episcopi, aliique Ministri Ecclesiasticorum bona, Ecclesiasque gravant, oneribus querebantur, & Judicum ecclesiasticorum usurpationes in Laicorum causis commissas, ac injustitias

justitias ab eis patratas reprimi desiderabant.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1523.

Ceteræ conquerendi causæ respiciunt exactiones, quæ (ut ipsi dicebant) ob Sacramentorum administrationem, sepulturam, Missæ sacrificia, imo etiam propter licentiam concubinas alendi factæ fuerunt. Dein exponebant, quod Religiosi a Monialium monasteriis pecunias, quas Romam mittunt, extorquerent, & Legatis, ac Pontificum Nunciis ex illicito concubitu genitos legitimis natalibus restituendi jus concederetur, ac Religiosi in Germania sæcularibus succederent, hi vero vicissim ab illis ad hæreditates nec vocarentur, nec admitterentur, cui malo remedium poni petunt.

*Ea propter summa prudentia curandum esse dicunt, ut deinceps nemo se Religiosorum votis vel adstringat, vel adjiciat, nisi prius ea de re civiles Magistratus certiores fecerit, quorum præsentia, & auctoritate Religionem ingredi volentibus, a parentibus & amicis, juxta cujusque fortunam, ac facultates mediocriter provideri debet, ut habeant, unde commode in monasteriis vivere possint, eo tamen pacto, ut omnibus parentum successioneibus renuncient.*

Postremo declarant, quod sæculares Imperii Ordines multo plura haberent onera

ra

**Sæcul. XVI** *ra, ne vero brevitatis modum excederent,*  
**A C. 1523.** *his contenti essent, ea spe freti, ubi hæc-*  
*enus enumerata fuerint abolita quod & reli-*  
*qua una corruitura sint. Supplicant vero*  
*summo Pontifici, ut enarrata grava nina*  
*tollere & emendare dignetur; quod si au-*  
*tem non ocyus abr gata fuerint, tum san-*  
*ctitatem Pontificiam latere nolunt, prædicta*  
*gravamina diutius eos neque perferre velle,*  
*neque tolerare posse, sed rei ipsius iniquitate*  
*& necessitate huc eos adigi, pro eorum ca-*  
*ptu de aliis commodioribus mediis cogitandi,*  
*quibus tandem ab hisce oneribus exonerari,*  
*liberari, ac tandem in pristinam libertatem*  
*asserri, atque vendicari possint.*

## §. XXXVI.

*Edictum a Principibus Norimbergæ  
conditum.*

**Sleidan, in**  
**com. l. 3 p. 100**

**P**ostquam Principes, atque Imperii Or-  
dines in comitiis Nationis Germa-  
nicæ onera in unum libellum contra-  
xerant, mox die sexta Martii, præfixo  
Cæsaris utut absentis nomine edictum  
promulgarunt, cui responsum Nuncio  
Apostolico datum, & Pontificis Breve  
ad Comitiam, necnon ejusdem monita ei-  
dem Legato tradita unacum centum i-  
stis oneribus adjecerunt. Postea divul-  
gabatur brevi hoc edictum non modo  
per universam Germaniam, sed ceteras  
quo-

quoque Provincias, quinimo Romam usque pervenerat, non sine summo Prælatorum ejusmodi reformationem aspernantium dolore; illis enim ingenua nimis confessio displicebat, qua Pontifex Romanam Curiam, Clerumque primam mali originem fuisse profitebatur.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1523.

## §. XXXVII.

*Lutheri annotationes in Edictum.*

Quamvis congregati Principes Nuncio fidem dedissent, curaturos se, *Sleid. l. c. p. 101.*  
*Lutherus & sui Seditores* (usquedum *Luther. contra fascicul. edict. Cæsaris tom. 2.*  
 Synodus celebraretur) *aliquid amplius scribant, vel typis excudi faciant.* Nihilominus idem hæreticus suam conviciandi libidinem continere haud potuit, sed monita Adriani Papæ ad suum Nuncium per totam Germaniam typis vulgata perverfis admodum annotationibus corruptit, ac ea verba, quibus Papa corruptos Cleri mores testabatur, perperam in rem suam vertit. Nec his contentus Cæsaris quoque edictum, quod Catholici ac Lutherani pro suo quisque studio accipiebant, atque interpretabantur, suis animadversionibus conspurcavit, necnon Principibus hæc perferbere ausus est, *legi hoc edictum non minori cum reverentia, quam animi voluptate, illudque etiam Wittembergensi Ecclesiæ pro-*



Sæcul. XVI. proposui, verum insidiis & arte diaboli  
A.C. 1523. fieri videtur, ut auctoritas ei derogetur,  
 nam ex prima etiam Nobilitate quidam sunt,  
 qui eidem morem gerere recusant, & varias  
 interpretationes affingunt. Hoc itaque  
 scripto meo declarare volo, quommodo ego  
 hoc edictum accipio, & confido meam opi-  
 nem vestræ voluntati omnino consonam  
 esse.

Dein prosequitur Lutherus, cum e-  
 dictum jubeat, quod Evangelium doceatur  
 juxta interpretationes ab Ecclesia receptas,  
 id a plerisque sic intelligitur, docendum esse  
 juxta morem hucusque usitatum, ex præ-  
 scripto Thomæ, Scoti, & aliorum, quos Ro-  
 mani Pontifices approbarunt, ego vero de  
 vetustioribus illis id accipio, Hilario, Cy-  
 priano, Augustino, & horum similibus, ac  
 ne his quidem tantam tribuendam censeo au-  
 ditoritatem, ut non longe præferantur Bi-  
 blica scripta, non dubito, quin & hæc vestra  
 sit sententia, idque argumento est, quod  
 nonnulli, qui veram Ecclesiæ emendationem  
 ferre non possunt, recusarint huic edicto  
 subscribere, & ne nunc quidem illud suis pro-  
 poni patiantur: Alterum etiam, scilicet ut  
 Episcopi deligant homines idoneos, qui con-  
 cionibus adsint, & leniter admoneant, si quid  
 erit, id quidem recte fuit decretum, sed illi,  
 quibus mandatum est, etiamsi vellent, non ta-  
 men possunt decreto satisfacere, eo quod vi-  
 ris doctis careant, & illis utantur, qui præ-  
 ter

ter sophistica nil unquam didicerunt. Quod autem interdicitur, ne quid librorum deinceps exeat, nisi prius Viri docti ad eam rem delicti iudicium fecerint, non recusato quidem, sed tamen sic illud accipio, ut ad sacra Scripturae libros non pertineat, quo minus enim hi prodeant in lucem, non potest prohiberi. Quod autem postremo statutum fuit de Sacerdotibus, qui vel uxores ducunt, vel ordinem suum deserunt, juxta leges Pontificias mulctandis, nimis hoc durum est, nam si pure docendum est Evangelium, ut ipsimet Principes fatentur, jam certe mitiganda est lex illa Pontificia: hinc deploro nostri temporis miseriam ac pertinaciam, quod in hac tam clara Evangelii luce non abrogetur lex illa durissima calibatus, quae plurimorum & gravissimorum scelerum occasionem atque causam praebet, ipsi tamen, qui Pontificia poena contenti sunt, propter eam moderationem admodum sunt laudandi, illi vero, qui Sacerdotes ob contractum matrimonium vel professionem desertam carcere & vinculis omnique suppliciorum genere exearnificatos interficiunt, magnopere detestandi.

## §. XXXVIII.

Lutheri libri ad Senatum, populumque Pragensem.

Præterea Lutherus ad preces quorundam, qui circa Ministrorum institutionem

Sleidan.  
comm. l. 4.  
p. 102. & seq.

Sæcul. XVI. tionem ejus sententiam rogabant, ad  
A.C. 1523. Pragensem conventum perscripsit, atque  
 in libello ad Senatum, populumque di-  
 recto tradidit, quod doctrinam dijudi-  
 candi jus, necnon Ministros stabiliendi  
 potestas Ecclesiæ competeret; Ecclesia  
 autem, agebat idem, ubique est, ubi Ev-  
 angelium in sua puritate edocetur; nil  
 enim Episcopi, ceterique Præsules al-  
 liud sunt, quam statuæ, & capita sine  
 cerebro, nullusque eorum, quocumque  
 demum in loco versetur, præcipue in  
 Germania muneris sui partes explet.  
 Sub idem tempus alium edidit librum,  
 in quo affirmat, quod hominum dogma-  
 ta, nisi Evangelicæ puritati plene con-  
 sonent, sequi non oporteat, ac quilibet  
 Christianus doctrinam & Ministrorum  
 vocationem dijudicare queat. In proe-  
 mio alterius scripti asserit, non se ad-  
 stipulari iis, qui audacter leges, homi-  
 numque traditiones vilipendunt, nec  
 veri Christiani vitam ducunt. Denique  
 eodem tempore ad Valdenses, qui ad-  
 huc in Bohemia & Moravia agebant,  
 libellum Teuthonice scripsit, in quo di-  
 xit, *circumfertur libellus, quem vestri Sym-  
 mistæ ad instituendos in summa Christianis-  
 mi pueros ediderunt, & ad me transmiserunt,  
 cum vero in eo inter reliquos articu-  
 los & ille continetur, quod Christi corpus  
 sub Eucharistiæ Sacramento non naturali-  
 ter*

ter contineatur, neque adorandum sit, hoc Sæc. XVI. A.C. 1523.  
 dogma vestrum nos Germanos non mediocri-  
 ter commovit, unde vos rogo, ut huic ar-  
 ticulo, de quo vos paulo obscurius differere  
 videmini, justo super hoc libello edito, lucem  
 addatis. Hoc tamen vobis testimonium per-  
 hibere volo, quod propius accedatis ad pu-  
 ritatem Evangelii, quam omnes alii, quos  
 cognoverim.

## §. XXXIX.

*De nova Lutheri Liturgia.*

Denique Lutherus novam formam *de Sleid. l. c.*  
 Missæ & Communionis Wittember- p. 103. Cochl. 1523.  
 gensi Ecclesiæ præscripsit. *Hadtenuis,* p. 71 Rayn. n. 58.  
 inquit, libellis & sermonibus egi inter po-  
 pulos, ut corda primum ab impiis opinionibus  
 caeremoniarum avocarem, Christianum,  
 & commodum arbitratus me facere, si causa  
 fierem, ut contereretur abominatio, quam  
 Sathan per hominem peccati in loco sancto  
 statuerat. Quare de formula aliqua pia  
 missam (ut vocant) & communicandi age-  
 mus, nulli prorsus præjudicantes, ne aliam  
 amplecti & sequi liceat. In hac formula  
 Lutherus, primo inquit, Patrum ordina-  
 tiones, qui unum vel alterum psalmum ante  
 benedictionem panis & vini orasse leguntur,  
 laudabiles fuere, quod Kyrie eleyson addi-  
 derint, placet: etiam Epistolarum & Evan-  
 geliorum lectio necessaria fuit, tum additus  
*Hist. Eccles. Tom. XXXIV.* S est

Sæcul. XVI A. C. 1523 *est introitus ex quodam psalmo decerptus, hymnus ille Angelicus, Gloria in excelsis &c. item Gradualia, Alleluja, Symbolum Nicænum, Sanctus, Agnus Dei &c. Quæ omnia, inquit Lutherus talia sunt, ut reprehendi non possint, excepto Canone illo lacero, & abominabili ex multorum lacunis collecto: addita fuerunt etiam offertoria, & collectæ, & prosæ &c. quæ omnia reprobato, præter prosas de Natali Domini, & Spiritu Sancto. Dein rejicit etiam sacrificia pro defunctis, necnon Missas, ut vocant, votivas, cereorum tamen, thurisque usum non reprobat. Præterea præcipit, ut recitato Symbolo, seu explicato dogmate panis & vinum præparentur, interim tamen vino miscere aquam, vel id ommittere liberum sit. Prima etiam præfationis verba admittit, vult tamen, ut post illa confestim Institutionis Eucharisticæ verba pronuntientur, eodemque tono, quo oratio Dominica dici solet, recitentur, ac postmodum chorus decantet *Sanctus*, sub quo ad *Benedictus* panis, & calix elevetur, dictaque Oratione Dominica, statim absque alia oratione cantetur *Pax Domini &c.*, His precibus peractis, quæ veluti absolutio est, Sacerdos sibi populoque Eucharistiam administret, interea vero *Agnus Dei &c.* intonetur. *Episcopus*, inquit Lutherus, poterit utramque speciem retinere,*

re, eamque sibi metipſi porrigere, populo autem speciem panis: priusquam speciem vini benedicat, poterit etiam celebrans uti consueta formula Corpus Domini &c. Et quia in ultimis collectis ferme semper mentio fit de Sacrificio, ideo hæc omittendæ sunt, earumque loco subrogari potest alia oratio; omisso etiam, Ite Missa est, semper dicetur Benedicamus Domino, Missaque finietur per illam benedictionem, quæ vel in usu est, vel per aliam ex sacris literis depromptam.

Hæc est nova Missæ forma, quam Lutherus eo fine excogitaverat, ut commentitiam reformationem suam ad singula omnino puncta extenderet: Ubi vero Lutherus de præparatione ad communionem necessaria differit, petentes inquit, non admittantur, nisi rationem fidei suæ reddiderint, Et interrogati responderint, quid sit Cæna Domini, quid præstet, quo usu illa velint potiri? Publicis, non tamen occultis criminibus obnoxios a Cæna excludi, communicaturos autem seorsim uno loco stare jubet, & Confessionem privatam nec necessariam, nec exigendam, utilem tamen Et non contemnendam esse agebat: nec non cuicumque, an per jejunium & preces sese disponere velit, liberum relinquebat, interim volebat, ut utraque species peteretur Et administraretur, illi vero, qui non nisi unicam recipere vo-

æcul. XVI.  
A.C 1523.

Sæc. XVI.  
A.C. 1523.

lunt, ab utraque excluderentur. Horas Canonicas etiam in die feriali recitari solitas approbat, Missas vero privatas aboleri, atque in diebus Dominicis populum bis in Ecclesia, mane ad Missam, & absoluto prandio ad Vesperas congregari præcipit, atque matutino tempore in Dominicis Evangelium, vespertino autem epistolam populo explicari, tandemque omnia Sanctorum festa aut abrogari, aut in diem Dominicam transferri jubebat.

§. XL.

*Lutheri vindiciæ hac super re.*

*Slidan. l. 4.  
p. 103.  
Bossuet. t. I.  
p. 308.*

In hujus libelli præfatione ita differit: *Editis libris & pro concione sæpe sum cohortatus homines ad abrogationem Missæ Pontificiæ, propterea vocor seditiosus, sed injuria mihi fit; nec enim unquam docui populum, ut impios cultus auctoritate sua publice aboleret, sed ne Magistratui quidem hoc concessi, nisi forte Ecclesiarum Præsæcti pertinaciter defendant errores. His subjunxit, quoniam vero horrenda est ista Cæna Domini profanatio sicut doctiores nunc agnoscunt, ideo scriptionem hanc & laborem suscepi, ut populus etiam intelligat, & ut usitata illa sacrificia Missarum, non secus atque Sathanam ipsum defugiant. Postea declamat præprimis contra Canonem,*

con-

contenditque, *quod sit refertus contume-* Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.  
*liis in Deum.* Ita nempe novus hic  
Pseudo-Apostolus pro summo imperio  
decidit circa ritum, qui tamen in Eccle-  
sia perpetuo observabatur: Præcipue  
vero a Missæ sacrificio eliminabat ea,  
quæ *oblationem* respiciunt; hanc enim,  
ut Christiano populo abominandam red-  
deret, nequiter mentitus est, quod  
Ecclesia huic oblationi peccata remit-  
tendi vim meritumque ita adscribat, ut  
nec fides, nec ulla pia motio ad id ne-  
cessaria sit, quod idem tertia etiam vice  
repetitur in Confessione Augustana, ut  
illius Auctores suis Sectatoribus per-  
suadeant, quod Catholici duntaxat pro  
extinguenda pietate Missam adoptent.

## §. XLI.

*Alia Lutheri opera hoc anno  
edita.*

Præterea currente hoc anno Lutherus  
alios adhuc libros edidit, atque inter  
ceteros præcipue tractatum contra vo-  
ta Monastica, cui titulum præfixit:  
*Exempla doctrinæ, & Theologiæ Papisti-*  
*cæ.* In hoc libello irascitur Sanctis Do-  
ctoribus, quod hi unanimi suffragio con-  
tinentiam encomiis celebrarent, atque  
ob idipsum ei S. Hieronymus omnino  
contemnendus videtur, tandem ipse  
S 3                      deci-



**Sæcul. XVI**  
**A.C. 1523**

decidit, quod tam hic Doctor, quam omnes Sancti Patres, qui tot sanctas carnis afflictiones pro inviolatæ castitatis conservatione exercuerunt, longe melius fecissent, si connubio sese junxissent; postea de voto castitatis differens inquit, *tam parum quis hoc votum adimplere poterit, quam sexum suum exuere*: Si vero cuncta, quæ in pluribus locis circa hoc argumentum Lutherus profert, verba adducere vellem, certe honestas ac pudicas aures offenderem, omnium autem petulantissime scripsit in præfatione, quam præfixit suo in caput septimum primæ epistolæ ad Corinthios commentario, ubi contra Joannem Fabrum Generalem Constantiensis Episcopi Vicarium scripserat.

Hanc Lutheri præfationem confutavit Conradus Kollin ex Ordine FF. Prædicatorum.

§. XLII.

*Novem Moniales ex suis monasteriis abductæ.*

**P**erversam Lutheri doctrinam brevi ad usum deduxit Leonardus Coppem Torgaviani oppidi Civis, qui hoc Anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio in die Parasceves Nymicense Monasterium, quarto a Wittembergæ lapide distitum

diffitum accessit, atque ex eo novem fa-  
 cras Virgines, haud multum oblu-  
 cantes, clam abduxit. Hæ abjecto quan-  
 tocius velo Wittembergam convolabant,  
 ubi Saxonici Electoris sumptibus ale-  
 bantur. Præcipua has inter erat no-  
 minata illa Catharina de Bore, cujus-  
 dam Nobilis nulla dignitate clari filia,  
 quam Lutherus biennio post in uxorem  
 sibi selegit, ad tantam delapsus temeri-  
 tatem, ut etiam harum Virginum rap-  
 torem Coppem defendere, ac sacrile-  
 gum ejus facinus edita apologia tueri  
 non erubuerit. In hac per enormem  
 prorsus impudentiam harum a fide Chri-  
 sti transfugarum raptum comparavit  
 cum liberatione animarum, quas Chri-  
 stus Dominus passionis suæ meritis re-  
 demit.

Sæcul. XVI.

A.C. 1523.

Seckendorff.  
hist. du Lu-  
theran.

Cochl. in act.

Et script.

Luth anno

1523 p. 78.

Et 79.

## §. XLIII.

*Lutheri tractatus de Fisco com-  
muni.*

Denique Lutherus, ut instituto Mona-  
 stico extremam inferret cladem, ac  
 populum in Monachos concitaret, tra-  
 ctatum edicto haud absimilem Theuto-  
 nice divulgavit, eidemque titulum in-  
 scripsit: *De Fisco communi*. In eo cun-  
 cta Religiosorum Monasteria aboleri, &  
 Clericorum bona auferri præcepit, ut

Spond. ann.

1523. n. II.

Cochl. l. c. p. 89

**Sæcul XVI**  
**A.C. 15-3**

in quosdam a se assignatos usus impendantur: Modus autem, & ordo ab eo præscriptus, quo ejusmodi bona distribuantur, erat sequens. Præprimis ex omnibus redditibus Monasteriorum, quæ bona ac prædia possident, nec non ex Episcopatum, Abbatiarum, verbo, ex omnium Ecclesiasticorum bonorum proventus ærarium publicum erigi constituit, cunctaque hæc bona in octo partes seu portiones hac ratione distribui voluit, ut una cederet Pastoribus, Verbi Ministris, iisque, qui fisco præessent. Altera utriusque sexus Magistris impendatur, qui filios filiasque literis imbuerent, ac Mendicantium monasteria occuparent. Tertia detur decrepitis, atque infirmis, ad labores ineptis, & ob adversam valetudinem ope indigis. Quartam obtineant Orphani, qui utroque parente orbi, auxiliis inopes sunt. Quinta in pauperes, atque ære alieno gravatos, & solvendi impares distribuantur. Sexta, alienigenis, qui, unde vivant, non habent, obveniat. Septima pro fabrica destinatur, Octava denique, ad horrea ubique erigenda reservetur.

§. XLIV.



Sæc. XVI.  
A.C. 1523.

perfectam. Hi ergo ambo, cum novam sectam conflare molirentur, sanctitatis, ac vitæ asperioris specie, quam egregie mentiebantur, quamplurimos decipiebant, docebantque, nonnisi sequendas esse revelationes, quas in orationis exercitio a Patre Cœlesti recepturi essent. Spernebant etiam leges tum Ecclesiasticas, tum profanas, ipsaque Sacramenta, cultumque Religionis externum flocci habebant. Nec minus detestabantur infantum Baptisma, omnesque, quotquot factioni suæ nomen dederant, sacro rursus lavacro tingebant; unde Anabaptistæ dicebantur. Ingens præterea odium in Magistratus, Principes, ac Nobiles suis inspirabant, eisque persuadebant, quod omnia bona singulis existant communia, cunctique homines a natura liberi, nulliusque dominio obnoxii fuerint geniti. Denique felix spondebant imperium, in quo ipsi, extirpatis omnibus impiis, soli regnaturi essent.

§. XLV.

*Storchius & Müncerus, Anabaptistarum Coriphæi Wittembergæ expulsi.*

Præterea, ut Discipulos suos ad recipiendum Spiritum Sanctum aptos red-

redderent, corporis afflictationes & je-  
 junia præscribebant, suosque, neglecto  
 omni corporis cultu, nonnisi rudibus  
 pannis indui præcipiebant; præcipue  
 vero summam in loquendo moderatio-  
 nem commendabant; ut vero austerio-  
 ris vitæ speciem præferrent, barbam  
 promissius nutriri, ac munditiæ curam  
 negligi jubebant. Hanc doctrinam præ-  
 primis Wittembergæ docebant, suisque  
 sermonibus in vulgus spargebant: Ve-  
 rum mox Lutherus eam impugnabat,  
 illiusque Auctores vehementer infecta-  
 batur; hic enim Hæresiarcha, cum ab  
 unguiculis in vera fidei doctrina educa-  
 tus esset, proin agnitæ veritatis vi com-  
 pulsus, non raro etiam invitus ad sa-  
 niora dogmata rediret, de Münstero di-  
 cere solebat, „Cum hoc novo Doctore  
 „ nullatenus agendum est de summa  
 „ suæ doctrinæ, nec etiam eidem per-  
 „ mitti debet, quod suarum opinionum  
 „ veritatem per sacras literas compro-  
 „ bet, sed præprimis ab eo sciscitandum,  
 „ a quo docendi munus ei fuerit im-  
 „ positum? „ *Si dixerit, a Deo se voca-  
 tum, ut doceat, probet hoc miraculis; his  
 enim Deus declarat, si quid extra ordinem  
 fieri velit.* Ast Lutherus forte imme-  
 mor erat, quod de iisdem omnino arti-  
 culis ipse etiam interrogari posset, proin  
 semetipsum proprio suo ore ac do-  
 ctina

Sæcul XVI.

A. G. 1523

Bossuet. Va-  
riat. tom I.

p. 35. Et 36.

Spond. ann.

1523.

**Secl. XVI.** **A.C. 1523.** **ctrina** condemnet. Ceterum Storchius, & Müncerus, cum se undique laceffiri cernerent, Wittembergæ excedere compellebantur. Incertum, quo fato obierit Storchius: Müncerus vero Alftadium in Thuringia feſe recepit, ubi ingentem Sectatorum numerum ſibi conciliauit. Verum Saxonix Elector, cujus imperio urbs dicta ſubjacet, rem edoctus, ac funeſtos hujus novitatis exitus pertimeſcens, naſcenti malo ſeſe oppo- nere ſtatuit, ne ejuſmodi ſecta in ditio- nibus ſuis indies magis invaleſceret, nec tamen alia ſeveriori, quam expulſio- nis pœna Müncerum caſtigavit; unde is ubique ſecum fanaticæ doctrinæ ſuæ abominationem deferebat.

## §. XLVI.

*Ruſtici ad bellum & ſeditionem a Müncero concitati.*

Præterea Müncerus ex ſuis diſcipulis quamplurimos per univerſam Germaniam mittebat, qui ruſticos ad ſedi- tionem, bellumque adverſus eorum Do- minos movendum incitarent. Imo i- pſus in Helvetiam perrexit, inde in Sue- viam delatus, totam Germaniam ſupe- riorem perverſo ſuo dogmate emenſus eſt, poſtea Norimbergæ Muhlhuſam Thu- ringiæ urbem venit, ubi quorundam, quos

quos ibi habebat, discipulorum opera, publice docendi munus obtinuit; cum vero ibidem Magistratus ei parum fa-  
 veret, tanta apud populum auctoritate valuit, ut novus Magistratus crearetur, ac ipsemet illius membrum fieret. Hoc impetrato Monachos expulit, monasteria & Abbatias occupavit, ac ferme solus Regininis curam sibi vindicavit. Populus hunc Fanaticum velut veritatis oraculum excipiebat, cunctaque ab eo dicta exacte in usum deducebat, atque in cæco hoc obsequendi studio potissimum ab illo obfirmabatur ex eo, quod doceret, bona singulis esse communia, cunctosque homines liberos, nulliusque dominio obnoxios existere, imo Dei voluntatem esse, quod non ultra populus Dominorum oppressiones, & Magistratum injustitias toleraret, cum tempus adventasset, quo Deo placuisset Münce-  
 ro præcipere, ut exterminatis iis probos homines subrogaret.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1523.

Hist. de  
 Anabap. im-  
 primee en  
 1700. a Amst.

§. XLVII.

*Zwinglii progressus in urbe  
 Tigurina.*

Haud segnius hæresin suam in Helvetia dilatabat Zwinglius, ac Lutheri exemplo animatus in sermonibus suis impugnabat Indulgentias, Sanctorum  
 invo-

Sander.  
 Hæres. 209.



**Sæcul. XVI** invocationem & Missæ sacrificium, nec  
**A.C. 1523.** minus damnabat Leges Ecclesiasticas,  
 Vota, Cælibatum Clericorum & absti-  
 nentiam a carnibus, necdum tamen ex-  
 ternum Religionis cultum immutabat.  
 Ceterum majori ac Lutherus modera-  
 tione usus, nullatenus convitiis atque  
 injuriis tumultuabatur, sed potius au-  
 dientium animos verborum vi convin-  
 cere, eorumque corda lenitate sibi de-  
 vincere studebat: Postquam igitur sat  
 auctoritatis ac gratiæ apud plebem sibi  
 conciliaverat, totus in eo erat, ut media  
 arriperet, quibus doctrina sua proba-  
 retur, ac demum publice reciperetur.

## §. XLVIII.

*Conventus pro examinanda Zwin-  
 glii doctrina Tigurini  
 indictus.*

*Fiori. Ræm.  
 l. 2 de orig.  
 hæres. cap. 8.  
 Et l. 3. c. 3.  
 Steid. comm.  
 l. 3. sub fin.*

**H**unc in finem Tigurino Senatui au-  
 ctor exstitit, ut incunte hoc anno  
 conventum haberet, in eoque unacum  
 Hugonis Constantiensis Episcopi Depu-  
 tatis, aliisque Ecclesiasticis de Religio-  
 nis negotio conferret. Annuere Tigu-  
 rini, atque ad vigesimam nonam Janua-  
 rii diem anno post Christum natum mil-  
 lesimo quingentesimo vigesimo tertio  
 conventum indixerunt, omnesque Pagi  
 sui Ecclesiasticos eidem interesse roga-  
 runt,

runt, simulque Constantiensem Episco- **Secul. XVI.**  
 pum monuerunt, ut vel ipſus adeſſet, **A. C. 1523.**  
 vel ſuo nomine quemdam eo legaret,  
 „ ut errores, inquit Senatus, qui Zwin-  
 „ glio imputantur, unice ex ſacris lite-  
 „ ris impugnentur, ac dijudicari poſſit,  
 „ quænam opiniones firmiter Verbo  
 „ Dei inſiſtant, demum vero ſub ſeve-  
 „ ris pœnis prohiberi valeat, ne quis  
 „ doctrinæ tum approbandæ ſeſe oppo-  
 „ nat., „ Advenerant Constantienſis  
 Episcopii nomine Joannes Faber ejus-  
 dem Vicarius Generalis aliique duo,  
 præter quos magno numero Eccleſiaſtici  
 confluerant.

Pro ſolemni Conventus aſpicio Se-  
 natorum Præſes ſermonem habuit, in  
 quo expoſuit, eo fine Senatū huc eſſe  
 congregatū, ut ſedulo, ambæ doctri-  
 næ diſcuterentur, & utra earum an Ca-  
 tholica vel Zwingliana acceptanda fo-  
 ret; his ſubjunxit, quod cuiſcunq; ple-  
 na concederetur libertas, vi cujus al-  
 terutram vel impugnare, vel defendere  
 valeat. Hujus Senatoris verba exce-  
 pit Fridericus de Anwy, unus ex Con-  
 ſtantiienſis Episcopii Deputatis, ſicque  
 peroravit: miſſus ſum a meo Præſule,  
 ut diſſidiorum, quibus Tigurina Eccle-  
 ſia agitur, cauſas explorarem, de ce-  
 tero palam profiteor, me eo duntaxat  
 ſine huc veniſſe, ut pacem conciliem, ac  
 contro-

Sæcul. XVI.

A. C. 1523.

controversias amice componam, quinimo rationes utrinque allegandas lubenti animo auscultabo, nilque definiam, donec Episcopus unacum Sacro suo Senatu sententiam pronunciaverit. His dictis Zwinglius e loco suo surgens, hunc in modum effatus est: novissimis hisce temporibus verbi divini lumen non modo obscuratum, sed hominum traditionibus ferme extinctum fuit, suscitavit tamen Dominus quosdam Viros, qui, ut pristinum splendorem Ecclesiæ redderent, Evangelium in tota puritate sua annunciarunt, ex quorum numero haud infimus ego sum; cum vero velut hæreticus traducer, etsi quinto abhinc anno nil omnino nisi Sacris literis suffultus docuerim, ideo Senatam supplex accessi, ut conventum ageret, in quo de doctrina mea rationem reddere possim.

## §. XLIX.

*Zwinglii doctrina sexaginta septem propositionibus comprehensa.*

*Steid. comm.*  
*lib. 3. sub fin.*  
*p. 91.*

Zwinglius doctrinæ suæ summam sexaginta sex propositionibus comprehendit, omnesque ab erroribus immunes, necnon Evangelio consonas jactabat: Possunt autem illæ haud difficulter ad sequentes articulos revocari. *I. Ecclesia est communio Sanctorum,*  
*cujus*

cuius caput nullum est præter Christum. Sæcul. XVI.  
 II. Omnes traditiones sunt rejiciendæ. III. A. C. 1523.  
 Missa non est sacrificium, sed sacrificii in  
 Cruce semel oblatis mera commemoratio.  
 IV. Nobis extra hanc vitam intercessore  
 præter Christum nullo opus est. V. Quo-  
 libet tempore quolibet cibo vesci licet. VI.  
 Matrimonium ex æquo omnibus convenit,  
 Sacerdotibus & Religiosis non minus quam  
 ceteris. VII. Non nisi Ecclesia excommu-  
 nicationem pronuntiare potest (excluso so-  
 lo Episcopo) & hoc non nisi ob peccata pu-  
 blica. VIII. Monachorum habitus mera  
 est hypocrisis. IX. Potestas, quam sibi Pa-  
 pa & Episcopi arrogant, non nisi super-  
 bia est, nec in sacris literis & doctrina  
 Christi firmamentum habet. X. Cum so-  
 lus Deus peccata remittere possit, confessio,  
 quæ Sacerdoti fit, non pro remissione pec-  
 catorum, sed pro consolatione haberi debet.  
 XI. Opera satisfactoria humanæ sunt tra-  
 ditiones. XII. Quoniam solus Deus ani-  
 marum statum post mortem cognoscit, ideo  
 Purgatorium non datur, aut saltem Scri-  
 ptura sacra post hanc vitam nullum novit,  
 si quis tamen pro mortuis apud Deum pre-  
 catur, non damno. XIII. Scriptura de  
 Charactere, quem postremis his temporibus  
 in Sacramentis excogitarunt, nil novit.  
 XIV. Sacræ literæ alios Presbyteros aut  
 Episcopos non admittunt, quam eos, qui  
 Verbum Dei annuntiant. Denique cun-  
 Hist. Eccles. Tom. XXXIV. T etos

**Sæcul. XVI.** **A.C. 1523.**                     ctos hosce articulos absolvit, dicens, quod paratus sit ad exponendam suam sententiam, quam de decimis, Ecclesiasticorum redditibus, de statu parvulorum sine Baptismo decedentium, necnon de confirmatione teneret.

In eodem conventu Joannes Faber palam edixerat, non se huc advenisse, ut de ritibus a longo tempore in Ecclesia receptis disputaret, cum hanc in rem expectanda esset definitio Concilii, quod ex Norimbergensis conventus sententia brevi celebrandum foret. Ad hæc reposuit Zwinglius, Veritati ac legi divinæ consuetudo opponi nequit, ac præsens Senatus rem decidere potest, nec Synodum præstolari tenetur, a qua nil proficuum sperari poterit, eoquod moderni Episcopi a veteribus plurimum differant: igitur de rebus hodie controversis Tigurinus Senatus utpote ex Viris doctis, ac valde idoneis conflatus judicare potest, nec minus inter ipsos fideles non pauci tanta ingenii perspicacia præditi reperiuntur, ut facile discernere valeant, quænam pars verum divini Verbi sensum assequatur. Postea Cives adhortabatur, ne diutius in rebus salutem concernentibus dubii fluctuarent, ac tandem tertia omnino vice adstantes ad disputandum provocabat. Differentem excepit Jacobus  
Zim-

Zimmermanus, prælegitque Constantiensis Episcopi edictum, quo usque ad Synodi decisionem veteres Ecclesiæ usus abrogari prohibitum erat, subjunxit tamen, haud ultra huic præcepto morem esse gerendum, sed potius Verbum Dei seclusis hominum traditionibus in sua integritate prædicandum, proin Filibachium ab Episcopo per nefas fuisse captum, eoquod doctrinam a Zwinglio minime diversam in suis sermonibus tradidisset: Joannes tamen Faber Episcopi sui innocentiam vindicare conabatur.

Sæc. XVI.  
A.C. 1523.

Reliquum colloquii tempus nonnisi disceptationibus ultro citroque habitis absumebatur; nam declamabat Zwinglius contra invocationem Sanctorum. Faber vero sat prolixum habuit sermonem de auctoritate Ecclesiæ, ac Conciliorum, a quibus veteres hæretici, ac nuperrime Wiclesus, & Joannes Husus, quorum errores resuscitarentur, damnati fuissent. Postea idem addidit, doctrinam de Sanctorum intercessione jam a primis Ecclesiæ sæculis stabilitam, atque omnium Nationum Religione fuisse firmatam, ut proin non sufficiat, contra hanc observationem sacras paginas allegare, sed potius attendendum, utrum illæ rite intelligantur, de vero autem earum sensu cuilibet judicare

**Sæcul. XVI** care integrum non esse, nec rem aliter  
**A.C.1523.** ac coram cujusdam celebris Academiæ  
 Theologis decidendam. Ad hæc sic  
 respondit Zwinglius: Concilia errare  
 possunt, hinc traditiones & consuetudi-  
 nes utut antiquissimæ, nisi sacris literis  
 innixæ sint, aboleri debent, cum vero  
 Scriptura disertis verbis dicat, quod  
 Christus solus sit Mediator, ideo San-  
 ctorum invocatio rejicienda est. Ab  
 hac quæstione transibat ad Sacerdo-  
 tum Cælibatum, indeque nova exorta  
 est altercatio inter Constantiensis Epis-  
 copi Deputatos, & Zwinglium, Leonium  
 de Juda, aliosque Ministros; quælibet  
 enim pars suam opinionem pro aris &  
 focis tueri conabatur.

§. L.

*Zwinglii doctrina per Tigurini Se-  
 natus edictum recepta.*

*Sleid. comm.*  
*lib.3. p.91.*

Cum vero in hoc conventu Zwinglii  
 factio numero ac potentia longe  
 prævaleret, Senatus, quamvis ad tanti  
 momenti quæstiones fidem spectantes  
 minime legitimus Judex esset, nihilomi-  
 nus adstantes ad sua redire jussit, totius-  
 que negotii discussionem sibi vendica-  
 vit, moxque ex plurimorum suffragio  
 edictum promulgavit, in quo præcepit, ut  
 in toto Tigurino Pago Zwinglii doctri-  
 na

na reciperetur, ipse vero, ut hactenus fecisset, Evangelium, Deique verbum annu-  
 cianciare, ac tradere pergeret. Præ-  
 rea omnibus ditionis suæ Pastoribus, ac  
 Præconibus mandavit, ne quid posthac  
 aliud gregi suo proponerent, aut Zwin-  
 glium, ejusque Sectatores hæresis ac-  
 cusarent. Obluctabatur vehementer  
 huic edicto Joannes Faber, dicebatque,  
 quod plures Zvvinglii propositiones ri-  
 tibus ad honorem & Dei gloriam stabi-  
 litis contrariæ invenirentur, ejusque  
 dogmata D. Pauli doctrinæ omnino op-  
 ponerentur: ex adverso Zvvinglius, ut  
 dicta sua comprobaret, provocare au-  
 debat Fabrum: hic vero reposuit, non  
 equidem cuncta disertis verbis in sacro  
 Codice esse decisa, in cujus rei exem-  
 plum nuptias patrum inter & Neptim  
 allegabat, cui respondit Zvvinglius, ma-  
 gis remotos propinquitatis gradus in  
 sacris literis prohiberi, proin & illum in  
 eis comprehendi. His disputatio finem  
 accepit.

## §. LI.

*Alter Tigurini Senatus con-  
 ventus.*

Nullam prorsus mentionem edictum *Sleidan. l. 4.*  
 fecerat de externo Religionis cul-  
 tu; cum vero ille nec cum Zvvinglii *p. 105.*  
*Cochlæus*  
 T 3 doctrina

Secul. XVI.  
A. C. 1522.



Sæcul. XVI.

AC 523

doctrina concordari, nec absque auctoritate aboleri posset, ideo Senatus, urgente Zwinglio alium indixit conventum hoc anno ad finem Octobris celebrandum, in quo agitaretur, quid hac in re decernere expediret: ut autem Conventus confluentium numero celebrior esset, Tigurini Senatores præter Constantiensem, Curiensem & Basileensem Episcopos, duodecim Helvetiorum Pagos, necnon Basileensem Universitatem adesse rogarunt.

§. LII.

*Colloquium primum de Ecclesia, & S. Imaginibus.*

Igitur præstituta die, quæ erat feria secunda, ante Festum SS. Apostolorum Simonis & Judæ Tiguri conventus celebratur, atque ad disputationis, quæ tertium omnino diem tenuit, exitum probe dijudicandum a Senatu nominantur Vadianus, Hoffinanus, & Cappelanus. In primo colloquio agebatur de Ecclesia, quam Zwinglius in duplici sensu accipi affirmabat; nam primo omnem verorum Fidelium, quorum Christus Dominus est Caput, cœtum, & secundo particularem in quodam loco fidelium societatem per eum intelligi agebat, & addebat, quod in nullo sensu  
Car-

Cardinalium, & Episcoporum cœtus esse possit Ecclesia. Post hæc proferebat non sine magno contemptu Pontificis Decretum, ac Cæsaris edictum, dicebatque, ex S. Literis probandum esse, quod Zwinglii doctrina foret erronea, dein transiit ad articulum de S. Imaginibus, earumque cultum impugnavit ex veteris, novique Testamenti textibus. Ast Judicum unus mox opposuit, his testimoniis nonnisi falsorum Numinum simulacra prohiberi; ceterum a Moyse æneum serpentem fuisse erectum, necnon foederis arcam Cherubinis ornatam: mox alius pronunciavit, sacras Icones rudi populo esse relinquendas, edocendum tamen illum, qua ratione eas honorari, cultumque ad Deum referri oporteret; præceptum vero: *Non facies tibi sculptile*, ajebat respicere Judæos, gentem ad idololatriam sat proclivem, ut proin illud nostra ætate haud ultra vim legis obtineret; ast Zwinglius pervicaciter propugnabat, S. Imagines omnino abolendas, cum præceptum sit universale, ac serpentis & Cherubinatorum simulacra, quæ erant super arcam posita, a mandato tantum fuissent exempta, tales autem exceptiones esse in Regulam trahendas negabat. Nec his contentus, imagines, etsi nullo cultu honorentur, asservari tamen minime permitte-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.

Sæcul. XVI. mittebat, constanter affirmans, eas pe-  
 AC 1523. nitus a divina lege proscribi; præterea  
 Sanctorum cultum impugnabat, ac de-  
 mum hujus colloquii sententia eo ibat,  
 ut S. Imagines everterentur.

## §. LIII.

*Colloquium II. de Missa.*

Agitabatur in altero colloquio quæstio  
 de Missa, quam Zwinglius nullo pa-  
 cto sacrificium, sed nonnisi nudam sa-  
 crificii, quod Christus Dominus in a-  
 ra Crucis obtulit, commemorationem  
 esse voluit. Ast adversus tam impium  
 dogma insurrexit Vadianus, atque ex  
 Malachia Propheta ostendit, Missam  
 verum esse Sacrificium; hancque in rem  
 adduxit id, quod Christus sit verus Sa-  
 cerdos secundum ordinem Melchisedech,  
 atque ab universa & antiqua Ecclesia  
 unanimi consensu agnosceretur realis  
 præsentia Corporis & Sanguinis Domi-  
 ni in altari, eoque Crucis sacrificium  
 repræsentaretur. Vadiani ecquidem ar-  
 gumenta refellere conabantur Zwing-  
 lius & Leonius de Juda, ast nihil prom-  
 ptum illis erat, quod ei responde-  
 rent, succurrebat tamen unus ex ad-  
 stantibus, qui perinde ac si jam satis su-  
 perque fuisset probatum, quod Missa  
 non sit sacrificium pro vivis & mortuis of-  
 feren-

ferendum, dixit, hoc ritu tantum ex-  
hiberi signum, & sigillum Christianæ  
Fidei, & unice Christi Domini verba  
esse adhibenda, nihilque aliud adden-  
dum; necnon omnes Missas in lingua  
vulgari celebrandas, atque in illis ver-  
bum Dei esse annuntiandum, & assisten-  
tes sub duplici specie communicandos.  
Huic sententiæ Zwinglius annuere vide-  
batur, quamvis cantum, & ceremo-  
nias abrogari vehementer cuperet; at-  
tamen nondum ad hoc nactus erat tem-  
poris opportunitatem. Dein sciscitaban-  
tur ab eo, an in pane fermentato, vel  
azymo sacrificium fieri oporteret, qui-  
bus respondit, quod res hæc cujuslibet  
arbitrio relinqueretur, dummodo nimis  
religiose formæ verbis non infisteretur:  
denique decidit Zwinglius, vinum aqua  
non esse permiscendum, nec requiri, ut  
jejuni Synaxin reciperent.

Sæcul. XVI.

A.C. 1523.

## §. LIV.

*Aliud Tigurini Senatus edictum.*

Tandem finito colloquio tres præfati  
Judices hanc in sententiam abierunt:  
„ Cum Missæ atque imaginum abusus  
„ sat manifeste fuerint demonstrati, nos  
„ vero hac super re decisivam senten-  
„ tiam pronunciare nolimus, ideo to-  
T 5 „ tum

Sæcul. XVI „ tum negotium ad Senatum remitti-  
A.C. 1523. „ mus, ut de modo, quo absque po-  
 „ puli offensione imagines & Missa ab-  
 „ oleri valeant, deliberet, ac desuper  
 „ ultimum iudicium proferat. „ Ergo  
 Senatus promulgavit edictum, quo cun-  
 ctis Sacerdotibus & Religiosis prohibi-  
 tum, ne solemnes impostero supplica-  
 tiones instituant, nec sacram in illis Eu-  
 charistiam circumferant, neque illam in  
 eorum Ecclesiis publicæ adorationi ex-  
 ponant. Præterea Sanctorum Reliquias,  
 & organa auferebant, & campanas pul-  
 sari necnon ramos palmarum, sal, aquam,  
 vel cereos solemnem benedictionem sacro  
 ritui dedicare, aut extremam unctionem  
 infirmis administrare prohibuerunt.

## §. LV.

*Zwinglii opera ad hæresis suæ defen-  
sionem conscripta.*

Fervente harum novitatum tumultu  
 Zwinglius plura edidit opuscula,  
 quibus doctrinam suam tueri conabatur,  
 atque inter cetera præcipue scripsit pro-  
 lixam explicationem sexaginta septem  
 suarum propositionum, quas Tigurino  
 Conventui porrexit. Postea in lucem  
 edidit sermonem ad omnes Helvetiorum  
 Tribus directam, qua eas hortabatur,  
 ne ex Sacerdotum connubiis offendan-  
 tur,

tur, nec doctrinae suae progressibus sese Sæcul. XVI.  
 opponant: cum vero Constantiensis E- A.C. 1523.  
 piscopus Senatum Tigurinum datis lite-  
 ris monuisset, ut novae ejusmodi sectae  
 resisteret, nec sua auctoritate Sacerdo-  
 tum contumaciam fulciret, minus vero  
 antiquos Ecclesiae usus aboleri permit-  
 teret, hanc Episcopi adhortationem  
 Zwinglius edito libello elusit, quem die  
 vigesima tertia Augusti Anno Domini  
 millesimo quingentesimo vigesimo secun-  
 do publici juris fecit. Sub idem quoque  
 tempus suo, ac quorundam aliorum  
 nomine eidem Episcopo supplicem por-  
 rexit libellum, in quo eum rogare au-  
 debat, ne Evangelii praedicationem im-  
 pediret, aut saltem Sacerdotum conju-  
 gia toleraret. Insuper alios composuit  
 libros de certitudine & claritate verbi  
 divini, de impedimento Matrimonii ex  
 affinitate spirituali exorto, necnon con-  
 tra Missae canonem, quo libro populum  
 ad permittendam Sacrificii abolitionem  
 inducere conabatur. Scripsit denique  
 contra Hieronymum Emserum, praeter  
 Epistolam de gratia Christi. Cuncta  
 haec opuscula vario tempore usque ad  
 annum millesimum quingentesimum vi-  
 gesimum quintum edita fuere.

Sæcul. XVI.

A.C. 1523.

§. LVI.

*Fridericus Christierno II. ex Dania pulso Rex subrogatus.*

*Joan. Mag.  
hist. Suec.*

l. 24.

*Chytræus**Sax. l. 9.*

Cum in Dania Hafniæ cives truculentam, ac ferocem Christierni II. Regis sui indolem haud parum pertimescerent, sumptis in eum armis hoc anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio Fridericum Holsatiæ Ducem ejus Patrum evocarunt, illumque Regem suum proclamaverunt. Christiernus, quamvis alioquin sævissimus, tanta tamen torpebat ignavia, tamque infano ob Friderici adventum terrore percelleretur, ut neglecto defensionis conatu, non nisi turpi fuga mali periculum, quod haud eluctandum credebat, declinare intentus esset: quapropter cuncta, quæ magis pretiosa in sua Regia habebat, raptim navigiis imponi jussit, ac Gronemburgum contendit, ubi Regni ærarium aperuit, extractasque inde pecunias cuidam navi intulit: imo nec his contentus, cum Lutheri sectæ nomen dedisset, nulla Religionis habita ratione ex Hafniæ templis pretiosiora quæque ornamenta abstulit, demum vero die ultima Aprilis ejusdem anni navem conscendit; at ad Norvegiæ oram naufragium passus, amissis omnibus navigiis,

giis, nonnisi unicam cymbam reliquam habebat, qua usus unacum Regina Caroli V. Sorore, uno Filio, binisque Filiabus rursus mari se commisit, tandemque ventorum vi ad Veram Zeelandiæ portum, Cæsaris Sororii sui Imperio subjectum delatus est.

Sæcul. XVI.

A.C. 1523.

## §. LVII.

*Lutheri Secta a Friderico in Daniam  
introduc̃ta.*

Fridericus, cum jam in Lutheri hæresin lapsus esset, primo subditis suis Religionis mutandæ, ac demum Lutheranis Ministris erroneam hujus Hæresiarchæ doctrinam prædicandi potestatem fecit, eo fine, ut hæresis subsidio novum Imperium tranquille possideret, atque in ejus possessione sese firmaret: Ubi vero existimabat, quod aut nullum sibi ab inconstantia populi periculum immineret, aut saltem ad vim repellendam sibi sat virium, ac potestatis esset, subditos suos ad amplectendam novam reformationem omnino cogebat, ut in decursu Historiæ nostræ perspiciemus.

Chytræus

Sax. l. 10.

## §. LVIII.

*Lutheri hæresis a Gustavo Ericsonè  
Suecorum Rege in suas ditio-  
nes introduc̃ta.*

Friderici exemplum Gustavus quoque  
Eri-



Sæcul. XVI. Ericson paucis abhinc mensibus in  
 A.C. 1523. Regem salutatus imitabatur, ac Luthe-  
 ri hæresin in suas etiam ditiones intro-  
 ducebat. Is olim a Christierno II. ca-  
 ptivus in Daniam abducebatur, sed fu-  
 ga elapsus, operam suam bubulcis, seu  
 pecuariis negotiatoribus locabat, ac  
 Lubecam usque perveniens plurimum a-  
 micitiam sibi conciliabat, qui eum in  
 Daniæ solium evehere moliebantur. Ho-  
 rum factioni suffragabatur ipse Magistra-  
 tus, ac civium nobilissimi illorum con-  
 silium ratum habebant, nec contenti  
 erant, ut sua Gustavo studia addicerent,  
 hinc eidem etiam navigium bene instru-  
 ctum, quo Gothoburgum tuto veheretur  
 suppeditabant, ac splendidum prorsus ha-  
 bitum dono dabant, detritam autem,  
 qua Lubecam veniens indutus erat, ve-  
 stem retinebant, ut illam in tabulario  
 Prætorii asservarent. Gustavus in Sue-  
 ciam appulsus, in Dalecarliæ Provin-  
 cia seditionem concitavit, collectisque  
 copiis Christiernum auffugere compu-  
 lit, brevique tantos armorum progres-  
 sus fecit, ut Stockolmia aliisque urbi-  
 bus Danorum præsidio munitis feliciter  
 recuperatis, Upsalensem Archiepisco-  
 pum ingenti clade afficeret, seque hoc  
 anno Christi millesimo quingentesimo  
 vigesimo tertio Sueciæ Regem procla-  
 mari faceret. Re tam prospere gesta, hoc  
 Regnum,

*Chytr. l. cit.*  
 l. 9. § 20.

Regnum, ubi prius non nisi eligentium suffragiis obtinebatur, Rex jam hæreditario jure Regum posteris afferuit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.

Idem Gustavus Lutheranam hæresin in suas ditiones nullo ferme negotio invenxit; quippe Olaus Petri ex Wittembergensi Universitate, ubi studiis operam navabat, atque hæresim imbiberat, reversus primo Stregnifiam, natale solium suum, erroribus Lutheri infecit, qui paulo post latius serpebant, plurimum favente præfenti temporis, rerumque vicissitudine; cum enim Gustavus ad firmandum solium nuper occupatum ferme totum exhaulisset ærarium, nonnulli eidem pollicebantur, quod Ecclesiarum, ac Monasteriorum bona, si Lutheri doctrinam amplecteretur, salva Religione, diripere posset. Tam amplæ prædæ dulcedo, quæ semper Principes magis proprii quæstus, quam fidei studiosos vehementer allicere solet, immodice delinivit Gustavi animum, qui ad incitas redactus, aliunde quamcunque demum Religionem flocci habebat. Propinabat Regi ejusmodi promissa Olaus, ministerio usus cujusdam Viri, qui Gustavo a secretis, atque intimis consiliis erat, ipseque a quodam Archidiacono Laurentio Andrea, viro gloriæ & laudis improbe cupido seductus fuerat.

Hujus

Joan. Mag.  
de vita Pont.  
Upsal p. 110.  
Chytræus  
Sax. l. I. Flo-  
rim. Ræm.  
l. 4. c. 15.  
Rayn. an.  
1523. n. 79.

Sæcul. XVI  
A. C. 1523.

Hujus igitur consilio Gustavus Rex facile persuasus, præprimis Lutheri doctrinam publice prædicari permisit, suis tamen subditis conscientiaë libertatem reliquit.

## §. LIX.

*Legatus a Papa in Sueciam missus.*

*Spond. hoc*  
*anno n. 17.*

**R**e comperta Adrianus VI. ad Regem ablegabat Joannem Magnum natione Suecum, Virum meritorum gloria longe celeberrimum, qui Legati Apostolici munere auctus Gustavum eo induceret, ne novæ hæresis præsidium in se susciperet. Exceptit Rex summo honore Legatum, concepta spe, Joannem Magnum Regis voluntati facile obtemperaturum, nulloque negotio ad suas partes pertractum iri. Hanc ob rem totus in eo erat, ut Legatus Upsalensem Archiepiscopatum in locum Gustavi Trolli inde deturbati acceptaret; persuadebat enim sibi Rex, hunc Præsulem tanta benevolentia sopitum mox consensurum, ut celebraretur Synodus, in qua Lutheri doctrina susciperetur. Ast præclarus ille vir flecti nescius Romam, unde venerat, reversus est, ubi ob amittendæ Religionis periculum, quod patriæ suæ impendere cernebat, tanto est correptus dolore, ut brevi animam efflaret.

Rex

Rex spe sua delusus, primo Upsal-  
liæ, postea Arosiæ Procerum comitia  
egit, eo fine, ut subditis suis exponeret,  
quod sibi firmum fixumque sit, suos, ut  
ajebat, ab Ecclesiæ Romanæ tyrannide,  
ac superstitionibus liberare, si vero suæ  
voluntati cedere renuerent, regnum se  
relicturum ajebat. Prævalebant ibi suf-  
fragia Lutheranorum, cum Catholicis  
numero longe superiores essent: Ergo  
decernitur: I. Cuncta Ecclesiæ bona  
Regis ærario addicantur. II. Episcopis  
ac Pastoribus nonnisi congrua sustenta-  
tio pro status sui conditione relinqua-  
tur; III. Quivis libere repetat ea, quæ a  
Majoribus suis olim Ecclesiis ac Mona-  
steriis dono data fuere; IV. Omnes Ec-  
clesiæ ac Monasteria (exceptis duntaxat  
Cathedralibus, & Parochialibus) ever-  
tantur; V. Ecclesiasticis nubendi facul-  
tas concedatur; VI. Officialium juris-  
dictio abrogetur, omnesque causæ ad  
Laicorum tribunalia revocentur; VII.  
Ecclesiastici in hostes, vel debitores suos  
anathema non dicant, nec Episcopi Sa-  
cerdotum, qui ex eorum Diæcesibus de-  
cedunt, hæreditates sibi vendicent;  
VIII. Plura Clericorum privilegia revo-  
centur. Post hæc querebantur Episco-  
porum nonnulli, quod Olaus juxta Theu-  
tonicum Lutheri exemplar novi Testa-  
menti versionem in Suecico idiomate

Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.

*Hist. Eccles. Tom. XXXIV.* U edi-

Sæcul. XVI. edidisset, ast illis reposuit Rex, quod  
A C. 1523. cum eodem Olao in arenam descende-  
 rent, ac de ejus doctrina disputarent; Verum id recusabant Episcopi, hosti ta-  
 men suo quemdam Theologum, nomi-  
 ne *Gallum*, opponebant. Diu multum-  
 que disceptatum de quæstionibus utrin-  
 que controversis, ac denique Rex Upsa-  
 lensem Archiepiscopum rogabat, ut no-  
 vi Testamenti versionem Ola oanæ oppo-  
 sitam edi curaret: Obstitit tamen vehe-  
 menter huic consilio Lincopinensis Epi-  
 scopus. Talis fuit præsentis colloquii  
 exitus.

§. LX.

*Hæretici in Francia & Belgio  
 castigati.*

*Sleidan. in* Interea Lutherana hæresis non modo  
*comm. l. 4. p.* septentrionales plagas infecit, sed  
*100. & 105.* ad ipsas usque Gallias ac Belgium sese  
*Surius in* extendit: nam hoc anno die prima Ju-  
*comm. ann.* lii duo Fratres Augustiniani, quos Sle-  
*1523.* danus Joannem, & Henricum appellat,  
*Raynald hoc* Bruxellis comprehensi, ad carceres du-  
*ann. n. 116.* cebantur, qui primo coram hæreticæ  
 pravitatis Inquisitore de eorum fide in-  
 terrogati respondebant, quod ea crede-  
 rent, quæ in veteri novaque lege, nec  
 non in Symbolo Apostolorum continen-  
 tur; in his enim totam fidei summam  
 comprehendi aiebant: cum vero ab eis  
 que-

quereretur, an non item ea, quæ in **Sæcul. XVI.**  
 Conciliorum decretis, ac Sanctorum **A.C. 1523.**  
 Patrum testimoniis comprobata essent,  
 crederent, reponebant a se & illis, dum-  
 modo sacris literis consona forent, fi-  
 dem adhiberi: ubi autem Judex ab illis  
 sciscitabatur, num crederent, læthalis  
 culpæ reatum incurri ab eis, qui san-  
 ctorum Patrum, ac summorum Ponti-  
 ficum decreta violant? solum eos, qui  
 Dei præcepta transgredierentur, gravis  
 culpæ reos esse inquiebant.

Cum igitur hæc opinio fidei articu-  
 los, ac noxarum causas restringeret,  
 proin hosce Fratres Lutheri secta inqui-  
 natos sat manifeste proderet, ad pali-  
 nodiam urgebantur. Ast recusabant illi,  
 unde hanc suam pertinaciam vitæ suæ  
 dispendio multabant; quippe pro more  
 exauctorati, flammis demum exusti  
 sunt.

## §. LXI.

*Joannes Clericus fustigationis pœna  
 Meldis castigatus.*

Eodem anno Joannes Clericus, sui o- *Spond l.c.*  
 pificii carminator, ac primus ex Mi- *num. 15.*  
 nistris, quos hi hæretici in Galliis ha-  
 bebant, Meldis, unde ortus erat, com-  
 prehensus est. Is quondam ad populum  
 dicens, eo temeritatis est progressus,  
 ut Papam Antichristum convitiaretur:

U 2

ut

**Sæcul. XVI** ut ergo debitas hujus insolentiæ poenas  
A.C. 1523. daret, virgis cæsus, & (ut nonnulli re-  
 ferunt) lilio quoque candenti carnificis  
 manu ad frontem iniustus, ac Regno  
 expulsus est: cum vero nec hoc sup-  
 plicio affectus saperet, sed Metas sese  
 recipiens, errores suos, ac fanatica  
 prorsus dogmata divulgaret, ibidem  
 propter everfas sacras imagines ad ro-  
 gum damnatus periit. Is nempe est e-  
 gregius ille Lutheranæ sectæ Heros,  
*Beza in Icon.* quem Theodorus Beza primum Meten-  
 sis ac Meldensis Ecclesiæ instauratorem  
 deprædicat.

## §. LXII.

*Alia hæresis apud Longobardos  
exorta.*

*Spond. l. c.*  
*num. 16.*  
*Labb. Conc.*  
*coll. tom. 14.*  
*p. 410.*  
*Bullar. A-*  
*drian. VI.*  
*t. 1. Const. 2.*  
*Raynald. l.*  
*c. n. 88.*

**E**xorta est præterea in Longobardia  
 hoc item anno alia fanaticorum se-  
 cta, quæ aliquamdiu hujus Provinciæ  
 tranquillitatem turbabat. I. Negabant  
 illi sacri Baptismatis effectus; II. Sa-  
 cram Crucem pedibus conculcabant;  
 III. Sacramentis Ecclesiæ, ac præci-  
 pue Eucharistia abutebantur; IV. Dia-  
 bolum in suum Dominum atque Magi-  
 strum assumebant, eique obedientiam  
 ac reverentiam exhibebant. V. Accu-  
 sabantur, quod jumenta, ac fructus ter-  
 ræ fortilegiis læderent. Ut ergo tantis  
 malis remedium poneret Adrianus Pa-  
 pa,

pa, hæreticæ pravitatis Inquisitori Co-  
 menfi datis ad eum vigesima Julii lite-  
 ris demandavit, ut in tam abominabilis  
 doctrinæ Auctores ac Sectatores exacte  
 inquireret.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1523.

Hanc sectam jam ab aliquo tempo-  
 re in Longobardia invaluisse, ex eadem  
 summi Pontificis constitutione depre-  
 hendimus; inquit enim, quod Julius II.  
 Papa idem negotium dedisset Georgio  
 de Casali Ordinis Fratrum Prædicato-  
 rum Inquisitori in civitate Cremonensi;  
 qui tamen optato muneris sui successu  
 fuisset frustratus, *eoquod nonnulli tam  
 Clerici, quam sæculares eundem populo o-  
 diosum reddidissent.*

§. LXIII.

*Lutherus, ejusque libri in Polonia  
 damnati.*

Pari Religionis studio animatus Sigis-  
 mundus Poloniæ Rex die quinta  
 Septembris contra Lutheri hæresin edi-  
 ctum promulgavit, quo ejus libros sub  
 pœna capitis legi, aut retineri prohi-  
 buit. Nec minus ejusdem Regis jussu  
 celebrata est omnium e Regno suo Epi-  
 scoporum Synodus, in qua tam idem  
 edictum, quam Constitutiones Pontifi-  
 ciæ contra eandem sectam editæ, die  
 sexta Octobris confirmatæ sunt.

Bzovius an.  
 1523.  
 Raynald l. c.  
 n. 80. & seq.

U 3

§. LXIV.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.

§. LXIV.

Benno ab Adriano in Sanctorum al-  
bum relatus.

*Surius p.*

242.

*Baron in*

*not ad Mar-*

*tyr. p. 254.*

*Bolland fol.*

188

*Baillet die*

26. Jun.

Hoc item anno Adrianus Papa S. Ben-  
nonem, & Antoninum Florentiæ  
Archiepiscopum solemniter in Sancto-  
rum numerum adscripsit. Horum pri-  
mus prope Goslariam Anno Domini mil-  
lesimo decimo primam lucem aspexit:  
Hildesheimii vero, quod inferioris Saxo-  
niæ oppidum est, in Brunsviceni Ducatu  
situm, a Bigerio Monasterii ad S. Michae-  
lem Priore non modo literis, sed maxi-  
me virtutum studio imbuebatur, sub au-  
spiciis Bernardi Hildesheimensis Episco-  
pi, quem Benno sanguine contingebat;  
cum autem decimum octavum ætatis  
annum ageret, Monachorum familiæ  
adscriptus sacri Codicis sanctorumque  
Patrum studio sedulam adeo operam na-  
vavit, ut Doctoris nomine honorari me-  
reretur, dein triginta annos natus sacro  
Presbyteratus ordine initiabatur, id ju-  
bente Adalberto Abbate, quo fatis fun-  
cto Monachi Bennonem subrogare me-  
ditabantur, ac plurimorum suffragia  
jamjam in eum conspirabant, cum ve-  
ro eorum alii Sigeberto suffragarentur,  
Benno Competitori suo lubens cessit,  
contentus, ut in solitudine, ac crebris  
Reli-

Religiosarum virtutum exercitiis Deo defervire posset. Nihilominus in Gos-  
 lariensis Ecclesiæ Canonicum nomina-  
 batur, ubi vitæ Monasticæ, quam pro-  
 fitebatur, exercitiis constantem dicabat  
 operam. Postea inter Canonicos Theo-  
 logus ac Magister electus, septemde-  
 cim omnino annos hoc munere funge-  
 batur, demum vero ab Henrico IV. Im-  
 peratore Misniæ, a qua urbe Misniensis  
 Provincia in superiori Saxonia nomen  
 trahit, ad Archiepiscopatum nominaba-  
 tur, & quamvis collato honori diu ob-  
 luctaretur, tandem ab Archiepiscopo  
 Magdeburgensi inauguratus est, ubi  
 post hæc omnes suos labores atque vi-  
 giliis Ecclesiæ suæ bono penitus sacra-  
 bat, cunctasque boni Pastoris partes ex-  
 plebat. Turbatur quidem pia ejus-  
 dem tranquillitas bellorum tumultibus,  
 quos in Ecclesia, atque Imperio Hen-  
 ricus IV. suscitabat, Benno tamen in  
 gratiam Gregorii VII. redire anhellabat,  
 eo duntaxat fine, ut Ecclesiam suam  
 sacræ Sedis obsequio constanter addi-  
 ctam servaret; hinc ipse etiam Romam  
 contendit, præsensque adfuit Synodo,  
 in qua Cæsar Sacrorum usu interdice-  
 batur, qua de re multis dirisque vexa-  
 tionibus premebatur. Tandem plus San-  
 ctitatis suæ meritis, quam annorum  
 numero gravis die decima sexta Junii

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1523.

**Sæcul. XVI.** Anno salutis millesimo centesimo sexto  
A.C. 1523 nonaginta sex annos natus, sancto fine  
 quievit, postquam quadraginta omni-  
 no annis Episcopatum suum rexisset.

Hujus Viri Sanctitatem Deus cre-  
 bris ad ejus tumulum patratis miracu-  
 lis testatam fecit, quibus rite probatis  
 de ejus Canonisatione agebatur. Cor-  
 pus ejus, quod in quodam Ecclesiæ an-  
 gulo absque apparatu sepultum jace-  
 bat, sub annum Domini millesimum du-  
 centesimum septuagesimum ab Vitigone  
 Episcopo exhumatum solemniter ritu trans-  
 latum est, ejusque Reliquiæ in splendi-  
 da tumba in medio Ecclesiæ erecta re-  
 positæ. Equidem jam tum de illius A-  
 potheosi tractari cæperat, totum tamen  
 negotium usque ad Alexandri VI. Pon-  
 tificatum differebatur, qui quosdam no-  
 minabat Cardinales, ut in Bennonis vi-  
 tam, & miracula inquirerent; rursus  
 vero hæc acta interceptiebantur tum Pon-  
 tificis tum Deputatorum obitu; tandem  
 autem ultima manus operi admoveba-  
 tur sub Adriano VI. qui Bennonem Cœ-  
 litum numero adscripsit, ejusdemque  
 solemnities celebravit hoc anno die trige-  
 simo primo Maji, in quem SS. Triadis  
 Dominica inciderat.

## §. LXV.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1523.*Lutheri libellus adversus hanc Canonisationem.*

Hujus festivitatis fama tam vehementi ira invidiaque Lutheri animum accendit, ut frenetico similis in rabiem erumperet, ac delirii vi correptus impium prorsus libellum teutonice conscriptum ederet, cui hunc præfixit titulum: *Adversus novum idolum, & antiquum diabolum, qui Misniæ exaltandus est.* Ad cunctas has Lutheri calumnias itidem Germano idiomate respondit Hieronymus Emserus, qui vitam B. Bennonis longe antea elegantissime scripsit, priusquam hujus Hæresiarchæ nomen fuisset Orbi cognitum. Ab eo tempore cultus S. Bennonis in omnibus Germaniæ Ecclesiis publice celebratur, ejusque dies festus decima sexta Junii assignatur.

*Cochlæus in  
actis, & scri-  
ptis Lutheri  
an an. 1524.*

## §. LXVI.

*S. Antonini Canonisatio.*

Sub idem tempus Adrianus acta de Antonino Florentinorum Archiepiscopo Sanctorum Canonis adscribendo instituta prosequatur, totumque negotium, quod a Leone X. cæptum erat, feliciter absolvebat, publici tamen cultus

*Bolland. ad  
2. Maji p.  
357. & in  
append. p.  
767.*

**Sæcul. XVI.** tus diploma nonnisi a Clemente VII.  
**A. C. 1523** qui Adriano successit, die sexta Setem-  
 bris promulgatum est.

§. LXVII.

*Indulta Carolo V. ab Adriano  
 concessa.*

**A**drianus, cum Carolum V. Cæsarem paterno prorsus affectu prosequeretur, nihil non agebat, ut ejusdem auctoritatem novis favorum incrementis extolleret; quocirca diplomate dato Cæsari, cunctisque Hispaniæ Regibus ejus Successoribus eligendi, atque ad quoscunque Regni Episcopatus nominandi potestatem fecerat, cum idem Galliarum Regibus Leo X. antea concefferat. Idem etiam alio diplomate die vigesima quarta (\*) Septembris concessio indulgit, ut

---

(\*) Circa diem diplomati adscriptam hunc in modum differit Antonius Pagius in Breviario gestorum Pontif. Romanorum ad hunc annum num. VIII. Scire ex variis Scriptoribus accuratis editi diplomatis annum, & diem peroptabam, sed hujus vel nusquam facta mentio, vel qui commemorant, annum & diem silent; hunc unum reperi Continuatores scilicet Historiæ Ecclesiæ Abbatis Fleury, qui turpiter hallucinatur, dum diem assignat vigesimam quar-  
 tam

ut Calatravæ, aliorumque militarium Sæcul. XVI.  
 Ordinum, qui in Hispaniis stabiliti sunt, A.C. 1523.  
 præfecturæ deinceps Castellæ Regibus  
 perpetuo jure attributæ manerent, cum  
 tamen eæ ab aliis Pontificibus nonnisi ad  
 tempus Regibus Castellanis traditæ fuif-  
 sent. Eadem Constitutione Pontifex su-  
 premi Magistri dignitatem, quæ prius  
 suffragantium consensu conferebatur,  
 hæreditariam reddidit.

Sub idem tempus Carolus Impera-  
 tor in Hispania nuncium accepit, suo  
 nomine a Gessensi Duce fœdus cum Pon-  
 tifice fuisse initum, vi cujus per mutuam  
 armorum societatem Italiæ libertas red-  
 deretur, ac Galli inde expellerentur,  
 simulque in Germania bellum in Luthe-  
 ranos moveri posset. Sanciebatur hoc  
 fœdus, cunctis, qui aderant, Cardina-  
 libus ad id strenue operam suam navan-  
 tibus; illis enim Papa negotium dabat,  
 ut plures Principes, ac præcipue Vene-  
 torum Rempublicam ad hoc bellum in-  
 citarent, quod tamen vix plene percipi  
 poterit, nisi rem ab exordio magis re-  
 petamus.

### §. LXVIII.

tam Septembris anni 1523. jam tum, ipso fa-  
 tente §. XCIV. e vivis sublatus fuerat Adrianus.  
 Ex his conjectura auguror Adriani Diploma da-  
 tum fuisse die quarta Maji anni 1523.

Sæcul. XVI.

§. LXVIII.

A.C. 1523.Papæ consilium de pace vel induciis inter Principes Christianos conciliandis.

Cum Rhodiorum Insulæ expugnatio quodammodo Adriano ab aliquibus imputaretur, ex(\*) Sedis Apostolicæ honore fore arbitratur, ut culpam repararet: ideo hanc ob rem, atque aliunde Pontificatum suum illustriorem reddendi cupidine stimulatus nihil non agebat, ut Christiani Principes pacem aut saltem inducias inter se inirent, & Turcas junctis viribus opprimerent. Hunc in finem ad Cæsarem, Franciæ, & Angliæ Reges Legatos suos decrevit, qui eos ad mutuam concordiam inducerent. Verum id (inquit modernus quidam Scriptor) erat opus summi Pontificis vires excedens, qui quidem Vir apprimè probus, rebus tamen gerendis, animisque conciliandis minus idoneus, ac quamvis optima foveret consilia, partium tamen studio plus æquo addictus erat, proin Galliarum Rex parum fiduciæ in ejus integritate reponere poterat. Nihilominus Adrianus, cum a Julii II. & Leonis X. Prædecessorum suorum indole multum alienus esset, adeo genio suo Principes cedere non affectabat, ut  
etiam

*Daniel. hist.  
de France  
tom 5. p. 492.  
& tom 8.  
dern. edit.  
1719. p. 496.*

---

(\*) Vide fol. 248.

etiam eorum confiliis, ignarus licet, Sæcul. XVI. A.C. 1523.  
deserviret; quapropter ubi communis omnium Pater esse debuisset, brevi partium studio abreptus aperte Gallis ad-  
versabatur.

## §. LXIX.

*Soderinus Cardinalis Papæ jussu  
comprehensus.*

**H**aud obscure suum in Gallos odium prodebat Adrianus, dum Cardinalem Soderinum natione Florentinum durius habebat, eoquod hic, ut Gallis ad invadendum Siciliæ Regnum viam pararet, clandestina cum Siculis confilia fovisset, datisque literis Santonen-  
sem Episcopum instigasset, ut Franciæ Regem de opportunis Siciliam occupandi mediis edoceret; ast nuncius proditorias literas deferens, cum interceptus Hispaniæ Ministris traderetur, tormentorum vi cunctos conspirationis confcios prodidit; unde Soderinus Cardinalis de perduellione convictus Pontificis jussu in arcem S. Angeli coniectus est.

Petr. de Angler. ep. 781.  
Guic. l. 15.

## §. LXX.

*Fœderatorum exercitus pecuniis destitutus, sed a Mediolanensibus adjutus.*

**D**etecta hac conjuratione ferme eadem



Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.

*Guicci. l. c.*

dem Hispanis accessit felicitas, quam fuit ipsa Siciliæ conservatio; inde enim Pontificem suo foederi adjungendi propitiam nacti erant occasionem, cujus accessu eorum Societas numero atque auctoritate plurimum augebatur, præcipue, ubi paulo ante ipsi quoque Veneti sese palam Gallorum hostes profitebantur. Nihilominus Rex Christianissimus Mediolanensem Ducatum recuperaturus, Bonnivetum Admiralem cum recenti militia eo decrevit, qua re comperta Hispani haud parum turbabantur, eo vel maxime, quod ære militari carerent, brevi tamen pecunias Francisci Sfortiæ nomine mutuo datas accipiebant; quippe cives Mediolanenses vasis convivalibus argenteis, gemmisque oppignoratis centum aureorum millia Ducis suo suppeditabant, quæ summa mox foederatorum copiis dabatur, ea lege, ut pecunias adhucdum residuas haud ultra exigerent, ac totius proximi belli stipendia mererentur. Hanc conditionem lubenter acceptabant foederati, necdum tamen eorum Exercitus Gallorum copiis, quas ad quinquaginta armatorum millia ascendere dicebant, resistendo par erat, atque ipse Columna Foederatorum Dux de suorum salute actum fore prospiciebat, si tum urgente  
rerum

rerum necessitate prælii discrimen cum Secul. XVI.  
Gallis, Venetisque experiri cogeretur. A.C. 1523.

## §. LXXI.

*Fœderatorum molimina ad Venetos a  
Gallorum studiis avocandos.*

In his rerum angustiis nil opportunius accidebat, quam ut Veneti impedirentur, ne fœdus, cujus finiendi tempus, ad quod initum erat, prope adventabat, rursus cum Gallis innovarent. Nec huic consilio spes magna de erat; nunciatum enim erat Columnæ, Morentiacum a Senatu absque responso fuisse dimissum, postquam Veneti fuerant edocti, quod Lescunus Marescallus Cremonæ urbis deditioem fecisset, & Galli Mediolanensem arcem hosti tradidissent.

Nec tamen inde Franciscus Rex animo fractus, repentinam Hieronymi Adornii mortem in rem suam vertere meditabatur. Mortuus erat ille, dum pro Imperatore apud Venetos legatione fungeretur, paucis post Morentiaci discessum diebus apoplexia tactus: Igitur comperto ejus obitu Rex nulla mora Bajocensem Episcopum eo ablegabat, ut conditiones illis, quas antea rejecerant, magis amplas Venetis offerret.

## §. LXXII.

Sæcul. XVI.  
A C. 1523.

§. LXXII.

*Anceps Veneti Senatus consultatio.*

*Petr. de Ang.*  
*Ep. 777.*  
*Genic. l. 15.*

Sub idem tempus Cæsar quoque in Adornii locum ad Rempublicam Marinum Carraciolum Legatum decernebat, qui tamen, quominus Senatus de Bajocensis Episcopi propositionibus deliberaret, haud præpedire poterat, quamvis ceteroquin eorum, ex quibus hoc Consilium constituebatur, sententia in diversa prorsus abiret. Hos inter tamen Andreas Grittus, qui non ita pridem Reipublicæ Dux electus pristinum semper in Gallos affectum conservabat, acriter defendit, quod in Reipublicæ rem & dignitatem cederet, si foedus cum Rege Christianissimo continuaretur, quamprimum enim agebat, Sfortia suum in Mediolanensi Ducatu Imperium firmabit, mox ibidem suam quoque potentiam extendet Imperator; quippe totus in eo est, ut Ducatum sibi subjiciat, quod eo certius timendum, quo pertinacius hucusque possessionis beneficiariæ diploma Sfortiæ concedere recusavit, occupato autem Ducatu nullo ferme negotio continentem quoque Reipublicæ ditionem armis suis subiget. Ex adverso Georgius Cornarus, qui itidem apud Senatum plurimum auctoritate valebat,

conten-

contendit, Sfortiam omni ope & opera Sæcul. XVI.  
A. C. 1523.  
esse protegendum, utrumque vero tam Cæsarem, quem Franciæ Regem ar-  
cendos, ne Mediolanum suo Imperio  
vendicent, idque nullius ferme negotii  
opus esse, pluribus demonstravit argu-  
mentis. Hæc opinionum varietas adeo  
ambiguos reddidit Senatores, ut re in-  
fecta conventum solverent, atque integ-  
rum mensem, cui sua studia addicerent,  
suspensi hæerent.

Tantam cunctationem pertæsi Sues-  
sæ Dux, ac Dudlayus Cæsaris, Regis-  
que Angliæ Legati, ad colloquium ad-  
mitti a Senatu petebant, quo impetra-  
to palam profitebantur, se triduo post  
discessuros, nisi infra hoc temporis spa-  
cium, quid de propositionibus ab utro-  
que Principe oblatis decrevissent, diser-  
tis verbis enunciarent. Equidem tam  
arrogans postulatio turbabat Senatores,  
nec tamen eos ad respondendum impel-  
lebat, sed tandem decisionem Gallis om-  
nino fatalem extorsit epistola a Joanne  
Badoero, qui Reipublicæ nomine in  
Francia legationem obibat, scripta, ac  
per cursorem Senatui tradita; illa enim  
his verbis erat concepta: Franciscus I.  
immodicis expensis totum Regni æra-  
rium exhaustit, ac nequidem ea, quæ  
ad proximam expeditionem necessaria  
sunt, suppeditare valet, & de rebus Ita-  
liæ,

*Hist. Eccles. Tom. XXXIV. X. liæ,*

**Sæcul. XVI.**  
**A. C. 1528.**

liæ, prout tamen necessitas exigit, ferme nunquam cum suis Ministris confert, nec minus aliunde certa habetur notitia, quod Borbonius Connestabilis, eo quod Reginæ Matris ac Prati Cancellarii molitionibus omnino hæreditaria possessione sua exutus esset, Regno excedere pararet, ex quo Francia abs dubio ingenti tumultu agitabitur.

§. LXXIII.

*Fœdus contra Gallos a Venetis firmatum.*

*Petr de Ang. epist. 782.*  
*Belcarius l. 17.*

*De Thou hist. l. I. an. 1523.*

Perlecta hac epistola Veneti una omnes adversus Gallos conclamabant, & quamvis Franciæ Legati nil intentatum, inausumque relinquerent, ut eos a Fœderatorum societate averterent, oleum tamen & operam perdiderunt. Ergo Senatus, cum nec Gallorum exercitum venire cerneret, ac Cæsaris iræ exponi pertimesceret, tandem adversus Gallos fœdus pepigit, idque die vigesima octava Junii firmavit. Equidem ad felicitatis cumulum Fœderatis nil ultra deesse videbatur, quam ut ipse etiam Papa Fœderi nomen daret. Verum Adrianus constanter inducias sanciri postulabat, nec oblectabatur Franciscus Rex, eas autem intra tempus oppido breve finendas petebat, id ipsum vero Papæ con-

filiis

filiis haud consonum erat. Pariter etiam Sæcul. XVI.  
A. C. 1523.  
Cæsar his quidem induciis annuere vi-  
debatur, hanc tamen belli cessationem,  
ut exequendo consilio paratas haberet  
moras, valde diuturnam optabat, pro-  
in concordia negotio haud eluctandum  
opponere obstaculum; quippe Gallia-  
rum Rex, cum nuper de Mediolanensi  
Ducatu ejectus esset, de longis armo-  
rum induciis sermonem fieri haud susti-  
nebat, probe gnarus, hac cunctatione  
hosti partas ditiones certius tuendi spa-  
cium indulgeri. Attamen hanc Regis  
repugnantiam Cæsar, ac Rex Angliæ  
opportune in rem suam vertebant, ut  
summum Pontificem ad firmandum fœ-  
dus inducerent.

## §. LXXIV.

*Papa Fœderi accedens.*

Sub idem tempus Romam advenerat  
Carolus Lanoyus Neapolis Prorex Guic. l. 13.  
Adriano non solum patria, sed & fa-  
miliaritate conjunctissimus. Is tanta  
dexteritate Pontifici persuadebat, quod  
Franciæ Rex sit solus, & unicus, qui  
bellum adversus Solimanum præpedi-  
ret, atque Italiæ tranquillitatem turba-  
ret, ut proin Pontifex teneretur, sese  
illius hostem palam profiteri, iisque  
accedere, qui saltem armorum vi Gal-  
los

**Sæcul. XVI.** los ad officium redigere possent. His  
**A.C. 1523.** tandem expugnatus Pontifex die tertia  
 Augusti adversus Gallos armorum socie-  
 tatem iniit cum Cæsare, Anglorum  
 Rege, Ferdinando Austriæ Archiduce  
 Cæsaris fratre, ac Mediolanensium Du-  
 ce, quibus itidem accessere Genuenses,  
 Florentini, Lucenses, atque Senenses.

## §. LXXV.

*Fœderatos profligandi occasio a Gallo neglecta.*

Franciscus Rex potentissimo hostium  
 foedere minime territus, bellum pro  
 expeditione Mediolanensi parare haud  
 destitit; quapropter ad Italiæ fines ex-  
 ercitus admovit, jamque ipse eo con-  
 tendere parabat, cum Camboriti per  
 nuncium literas acciperet, quibus Co-  
 mes de Bossu Guisæ Gubernator hæc  
 Regi significabat: matura omnino oc-  
 casio tibi potentissime Rex obvenit, qua  
 nullo ferme tuorum militum dispendio  
 Cæsaris exercitus in Belgio profligare  
 poteris; quidam enim miles præfidi-  
 rius nomine Livetus Arschotti Duci,  
 Hanoviæ Gubernatori promisit, se ei-  
 dem, pacta quadam pecuniarum sum-  
 ma Guisiam traditurum, quem in finem  
 Dux iter aggredi, Avennæ jamjam de-  
 crevit: præfatus vero miles Gallis im-  
 mota

mota fide addictus studiose secreta hæc consilia fovebat, ut Dux eo certius paratis sibi laqueis sese involveret. Enimvero Arschottus copias suas Fiennio Belgii Reçtori junxerat, qui Terouana urbe cinçta, cum exercitu suo Picardiæ fines petebat, præstitutam proditiõis diem præstolaturus. Re comperta Vindocinensis Comes Picardiæ Gubernator delectu Peronnæ habito septem peditum millia ac quingentos cataphractos collegit, quos ipse in aciem educens, Cæsareos a fronte aggredi parabat, cum eodem tempore Fleurangius Marescallus, qui ex Arduenna ditioe quinque Leodiensium millia & trecentos Cataphractos contraxerat, Avennam inter & Guisiam cum suis procederet, hostemque a tergo urgeret; ipse etiam Rex victoriæ partem habere cupidus, veredariis equis vectus Peronnam venit. Ast inopinus ejusdem adventus Cæsareis, detecta esse eorum consilia suspicionem ingessit, quapropter ad castra reversi, Terouanæ obsidionem prosequi cæperunt, quam tamen non sine ingenti tumultu solvere, a Vindocinensi Comite cogebantur.

Ceterum quamvis Rex Regni sui fines tuendo, vix par esset, minus vero tam potenti fœderi nuper adversus se firmato resistendi spem habere videretur,

X 3

proin

Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.Mem. du  
Bellai l. 2.



Sæcul. XVI.  
A. C. 1522.

proin nequaquam Fœderatos prohibere possent, quominus ad Mediolanensem ditionem, in qua nil nisi Cremonensem arcem habebat, reverterentur, nihilominus, ut hostem arceret, nihil non egit, tam vehementi Ducatum recuperandi desiderio stimulatus, ut cum exercitus sui robore ipse eo contendere decerneret. Jamjam Lugdunum venit, inde in Italiam transiturus, nec etiam conceptum exequi consilium destitisset, nisi Borbonii Connestabilis conspiratio tum recens detecta illum e regno suo exire prohibuisset.

## §. LXXVI.

*Borbonii Connestabilis indignatio, ejusque causa.*

*Petr. de Angler. ep. 7 1.  
Mem. du Bellai l. 2.*

**E**rat Connestabilis secundo genitus Regii sanguinis Princeps, Gilberti Borbonii Montpenserii Comitis, nec non Claræ Gonzagæ Filius. Pater ejus in Neapolis regno, cujus a Carolo VIII. Prorex nominabatur, vitam famamque amiserat, atque inter tres filios, quos reliquerat, natu major ob sinistrum Patris fatum immodico dolore correptus, super Patris tumulum mortuus corruit, natu minimus vero in Marinianensi prælio periit: Solus ergo supererat Connestabilis nomine Carolus, qui paulo

lo ante Ludovici XII. obitum a Fran- Sæcul. XVI.  
 cisco I. sub primis Regni sui auspiciis A.C. 1523.  
 Connestabilis munere honorabatur, da-  
 to hanc in rem diplomate regio die de-  
 cima Januarii Anno Domini millesimo  
 quingentesimo decimo quinto. Prin-  
 ceptus is erat ad subeundam hanc digni-  
 tatem omnibus animi dotibus liberali-  
 ter præditus. Antea die decima Maji  
 Anno salutis millesimo quingentesimo  
 quinto sibi copulaverat Susannam uni-  
 cam Petri hujus nominis secundi, Borbo-  
 nii Ducis, atque Annæ de Francia Filiam  
 ac hæredem. Hæc tres genuit filios  
 teneris adhuc annis morte sublato, ipsa  
 etiam nulla prole relicta die vigesima  
 octava Aprilis Anno post Christum na-  
 tum millesimo quingentesimo vigesimo  
 primo mortalitatem exiit. Post hæc  
 expetebat, ut referunt nonnulli, vidui  
 Connestabilis nuptias Ludovica de Sa-  
 baudia Francisci I. Mater, cum vero il-  
 le Regina vota haud percipere simula-  
 ret, non mitigandum ejus odium in se  
 concitavit, atque ab illo tempore eum  
 Regina oculis semper iniquis, infestis-  
 que in aula intuebatur, ac ipse quoque  
 Rex haud amplius eidem exercitus sui  
 imperium credidit.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1523.

§. LXXVII.

*Connestabilis a Ludovica de Sabaudia  
Regis Matre vexatus.*

Jamjam ab Anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo primo, Rex ipse exercitum suum ducebat, ac primi agminis curam Alenfonio Duci demandabat, quamvis hæc prærogativa Connestabilis dignitati annexa esset. Præterea Rex Borbonium e Mediolanensi Ducatu, cujus Præfecturam agebat, revocavit. Imo Regina hisce hostis sui adversitatibus nondum contenta, cum tot mala ad ulciscendam sprete amoris sui injuriam haud sufficere arbitraretur, litem eidem intentabat in omnia ejus bona, quæ sibi pleno jure deberi contendebat. (\*) Postquam enim Connestabilis, mortua Susanna Ducissa uxore sua oblatas sibi a Regina nuptias neglexerat, hæc in hæreditariam Borbonicæ Domus portionem vocari postulabat, eoquod Caroli primi neptis &

---

(\*) Quantum juris in uxoris suæ bona Connestabilis habuerit, perspicui potest apud P. Danielelem in sua Franciæ Historia tom. V. p. 489. & 499. edit. in 7. Volum. necnon in tom. VII. pag. 504. & seq. edit. de Anno 1719. in 10. Volum.

& Margarithæ, quæ Philippo Sabaudia **Sæcul. XVI.**  
 Duci nupserat, filia esset, quo obtentu **A. G. 1523.**  
 ad divexandum Connestabilem uteba-  
 tur: ex adverso Connestabilis dicebat,  
 quod tota familiæ Borbonicæ hæredi-  
 tas sibi competeret beneficiario jure,  
 cum id soli huic Domui proprium esset,  
 exclusâ etiam Susanna Petri Borbonii  
 filia. Præterea allegabat, in pactis con-  
 nubii cum Susanna a se contracti, ut  
 sic tota lis dirimeretur, fuisse conclu-  
 sum, quod pleno jure, si illa prior de-  
 cederet, Borbonicæ Domus successio ad  
 Carolum Borbonium rediret; Nihilomi-  
 nus Regina, cum Princeps admodum  
 imperiosa esset, litem redintegrabat, &  
 Connestabilem vehementius quam  
 sustinendo esset, exagitabat: cum vero  
 ille ob dignitatis suæ prærogativam  
 nullum aliud præter Parlamenti Pari-  
 siensis tribunal agnosceret, Regina ejus  
 causam Prato Cancellario, aliisque ju-  
 dicibus sibi addictis commisit, ex qua  
 agendi ratione Connestabilis haud ob-  
 scure intellexerat, una omnes ad ipsius  
 perniciem conspiraturos, præcipue, cum  
 ipsemet Rex Franciscus cæco prorsus  
 consilio Matris suæ indignationi ac vin-  
 dictæ cupidini plene suffragaretur.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1523.

§. LXXVIII.

*Connestabilis pacta cum Cæsare ad-  
versus Franciæ Regem  
inita.*

*Mem du  
Bellai l. 2.  
De Thou hist.  
l. I. an. 1523.*

Carolus Borbonius, cum vicissim sese  
ulciscendi desiderio flagraret, fidei  
debitæ immemor, Cæsaris auxilium im-  
plorare constituit, a quo non sine in-  
genti lætitia excipiebatur, quasdam ta-  
men conditiones sibi promitti voluit,  
obtinitque; quippe ad eum Carolus V.  
quemdam Virum nomine Beorinum ab-  
legabat, qui alieno habitu indutus Mont-  
brisonii in Forensi Provincia Connesta-  
bilem convenit, ac collatis cum eo con-  
siliis sequentes paciscebatur conditio-  
nes, vi quarum Connestabilis uxorem  
duceret Eleonoram ab Austria Cæsaris  
Sororem, Regis Lusitani viduam, dotis  
autem nomine acciperet ducenta au-  
reorum millia, præter jus succedendi in  
omnes Austriacæ Domus Provincias, si  
forte Cæsar & Ferdinandus ejusdem  
frater nulla prole relicta decessuri essent.  
Interveniebat quidem inchoato huic fœ-  
deri Rex Angliæ, unde altera hæc  
addebatur conditio, ut ambo Principes  
junctis viribus Franciscum I. e Franciæ  
folio deturbare, eique Carolum Borbo-  
nium subrogare conarentur, ea tamen  
lege,

lege, ut is, si Galliarum Regnum obtineret, cum plena jurisdictione ac dominio Anglis Normaniam, & Aquitaniam, Cæsari vero Burgundiam, & Arthesiam cederet, simulque omnia jura, quæ Franciæ Reges in Italia habere contendunt, in eundem Imperatorem transferret. Cum hæc pacta nonnisi verbo promissa essent, Connestabilis unacum Beorino San-Bonnetum in Hispaniam mittebat, ut cum Cæsare, priusquam in Italiam abiret, fœdus firmaret.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.

§. LXXIX.

*Franciscus I. Lugdunum profectus.*

Totum hoc negotium tam religiosa taciturnitate premebatur, ut Franciscus I. re nondum comperta jamjam in Italiam iter aggrederetur. Attamen vix Sancti Petri Monasterii oppidum ad Niverni, ac Borbonii confinia situm attigerat, cum ecce! Matignones, & Argugius, ambo Connestabilis Officiales ad Regem accurrunt, eumque monent de secretis, quæ eorum Dominus cum Cæsare foveret, consiliis, adduntque eum Comitibus Rucensis ministerio clam conspirationem moliri. Præter hæc haud plura dicere poterant, utpote de aliis a

Mem. du  
Bellai l. 2.

Saint Pierre  
le Mouffier

Roeux

Leur-

Sæcul. XVI. A.C. 1523. Leurcyo Connestabilis Cubiculario non edocti. Re percepta Rex biduo adhuc Monasterii morari voluit, priusquam Molinum peteret, ubi Connestabilis morbo detentus hærebat. Equidem Franciscus, cum nonnisi viginti Proceribus stipatus esset, hanc urbem ingredi verebatur, quocirca, donec copiæ, quas præstolabatur, adventarent, animo volutabat, quid in præsentis rerum statu decerneret. Non pauci quidem eidem auctores fuere, ut Connestabilem comprehendi juberet, rejecit tamen hoc consilium, ac suppetiis militum, quos expectabat, tandem advenientibus dixit, quod mallet clementia, quam acerbitate seditionem extinguere; hinc mox Molinum contendit, ut ipse Connestabili colloqueretur.

## §. LXXX.

*Borbonius Connestabilis Molini a Rege invisus.*

**R**ex cum Connestabili perbenigne conferebat, his verbis eum alloquens: tanto te non solum ob sanguinis propinquitatem sed maxime ob virtutum tuorumque meritorum prærogativam prosequor affectu, ut illo permotus tibi, quæ percepi, sincere manifestem. Nuper a Viris rei consciis admonitus sum, quod

quod tu Rucensis Comitibus opera usus Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.  
 cum Cæsare fœdus inieris, simulque re-  
 licto meo obsequio, spretoque tuo no-  
 mine cum Regni hostibus conspiraveris,  
 quæ res adeo abominanda mihi videtur,  
 ut illam, cum nonnisi ab animo in despera-  
 tionem acto proficisci queat, potius inane  
 somnium, quam virile factum arbitrarer,  
 præcipue ubi hujus defectionis causa adeo  
 levis esse videtur, ut tam horrendum ac  
 detestatum dignum consilium a te progenitum,  
 haud mihi persuadere valeam. Tota enim  
 res, prosequatur Rex, dubio innititur  
 eventui litis illius, quæ inter te & Ma-  
 trem meam ac Procuratorem generalem  
 agitur; hoc autem timore penitus concuti  
 imbecillitas est animi tui robore haud  
 digna; si enim tibi adjudicatur causa,  
 non habebis, quod conqueraris, nec quod  
 timeas; si vero causa cadis, tibi reddere  
 possum, quæ iudicio amisisti, meque id  
 lubenti animo facturum, tibi per Nobilis  
 Viri fidem iuro (ita Rex dicta sua sacra-  
 mento firmare assueverat) si tamen, sub-  
 junxit Rex, alia subest querendi causa,  
 ut eam mihi indices volo, & spondeo, me  
 tibi ad vota satisfacturum: Bono igitur  
 animo esto, dolorem absterge, nec eorum  
 suggestionibus aures præbe, qui turbata  
 Francia exitium tibi parant, certus in-  
 terim



Sæcul. XVI. A.C. 1523. terim esto, me haad amplius in tua ge-  
 ita inquisitionum; sola enim tua amicitiae  
 promissio certum erit fidei tuæ testimonium.

§. LXXXI.

*Connestabilis Responso ad Regem.*

**H**ac Regis libertate ac clementia Connestabilis animus omnino expugnatus videbatur, unde tam officiosam salutationem submissa gratiarum actione rependens agebat: tua erga me Auguste Rex, sinceritas, qua mentem tuam manifestare dignaris, mihi quoque ad ea, quæ paterno corde monuisti, respondendi libertatem inspirat; ita est, nec diffiteor, Rucensis Comes, ut ad Cæsaris partes deficerem, me sollicitavit; verum tam detestandi criminis horrore, ac infamiae nota, quam conscientiae, ac nomini meo inurerem, absterritus omnino recusabam; insuper ingenue itidem fateor, quod tota indignationis meae causa extiterit lis mihi intentata, de qua Regiæ Majestati suæ sermonem ingerere placuit; prorsus enim indigna res mihi videbatur, quod ea, quæ Reges Prædecessores tui Majoribus meis benigne concesserant, inique mihi auferrentur; cum autem tam gratiosa Majestatis

jestatis tuæ salutatio & liberalitatis tuæ, ac clementiæ sponsio tanti mali timorem mihi penitus adimat, eapropter juro ac protestor coram Deo, quod Sacræ Majestati tuæ tum in Italia, tum alibi, ubicunque me tibi vocare placuerit, integra fide tanquam subditorum tuorum devotissimus mea tibi obsequia sim impensurus. Rex Connestabilem suis monitis devictum existimans, in ejus amplexus ruens, se haud ultra culpæ memorem fore jurabat, eumque monebat, ut suæ tantum valetudinis curam haberet, ac Lugdunum pergeret, cum ejus præsentia ad ducendum exercitum suum oppido necessaria foret, proin ipsum ibidem præstolaretur. Spondebat Connestabilis, se eo lectica delatum iri; nec fidem fefellit, quippe paucis post Regis discessum diebus itineri se accinxit, comitante eum Wartienfi Toparcha, quem Rex eo ex fine ibidem reliquerat.

## §. LXXXII.

*Rex a Connestabili regno excedere parante delusus.*

Attigerat Paliciam Connestabilis, ubi eundem Wartiensem ablegavit, ut Regi suscepti itineris notitiam deferret, simulque significaret, se adeo viribus fractum

Sæc. XVI.  
A.C. 1523.

Sæc. XVI. fractum esse, ut tardius se adventurum,  
 A.C. 1523. merito timeret: Reapse autem Conne-  
 stabilis ingravescentis morbi obtentu  
 usus Chantellam, locum munitissimum,  
 Chantelles ubi pretiosiora quæque collecta habe-  
 bat, ad palatium suum sese contulit.  
 Re comperta, Rex se a Connestabili de-  
 lusum, eumque e Regno exiturum, sat  
 aperte prospiciebat, quocirca Sabaudia  
 Nothum & Chabannium Marecallum  
 confestim cum quadringentis Lancea-  
 riis & quatuor peditum millibus able-  
 gavit, ut Connestabilis arcem cingerent.

## §. LXXXIII.

*Plures Connestabilis amici capti.*

*Mem du  
 Bellai l. 2.  
 Marillac.  
 hist de Bour-  
 bon.*

Insuper Connestabilem comprehendi  
 Rex jubebat, moxque non pauci No-  
 biles, in quos conjurationis suspicio ca-  
 debat, capiuntur, inter quos ipse quo-  
 que San-Vallerius centuriæ ex Nobili-  
 bus regio genere claris conflatae Tribu-  
 nus, Boissius Palicei Marecalli frater,  
 Vauguyonius, & Aymardus de Prie e-  
 rant. Connestabilis hujus violentiæ pri-  
 mo ignarus, quamprimum Chantellam  
 advenerat, Jacobum Heraldum Augu-  
 stodunensem Episcopum ablegabat, u-  
 nacum epistola, in qua Regi significa-  
 bat, quod ipse quidem satis amplam de  
 valetudinis suæ statu notitiam per War-  
 tien-

tienfem communicaffet, idem vero nunc  
 quoque per Auguftodunenfem Epis- Aral XVI.  
A.C. 1523.  
 copum repeteret, nec minus Regem fi-  
 dei, atque obfequii fui certiozem redde-  
 ret rogans, ut iis, quæ nomine fuo E-  
 piscopus affereret, fidem haberet, fe enim  
 fui honoris, famæque titulo obftrictum  
 affererat, ut nunquam iis, quæ supre-  
 mo fuo Principi deberet, defuturus fit.  
 Dabat die quinta Septembris.

## §. LXXXIV.

*Conneftabilis in Italiam pro-  
fugus.*

Quamprimum Epifcopus Lugdunum  
 venerat, cuftodiæ dabatur, Con-  
 neftabilis vero, quæ gefta fuiffent, edo-  
 ctus, cum omni comitatu fuo difceffit,  
 totamque noctem profectus die octava  
 Septembris Harmentam fuperioris Al-  
 verniæ urbem pervenit, ubi clam fe fe a  
 fociis fubducens nonnifi unico Nobili  
 Scutario nomine Pomperano ftipari vo-  
 luit, atque ut eo melius fui notitiam ce-  
 laret, fe præfati Pomperani a cubiculis  
 miniftrum fimulabat; tandem vero  
 absque ullo discrimine Dolam in fu-  
 periori Burgundiæ Comitatu fitam per-  
 venit, indeque fuperata Tridentina con-  
 valle in Italiam tranfit, moxque Man-  
 tuæ Marchionem fuum Patruelem invi-  
Y fit,

*Hift. Ecclef. Tom. XXXIV.*

**Sæcul. XVI** fit, ac demum Genuam contendit, ut  
**A.C. 1523** ibidem cum Carolo Lanoyo Neapolis  
 Proroge, de futuro bello conferret; hic  
 enim supremum exercitus imperium ob-  
 tinuerat, postquam Prosper Columna  
 exeunte anno millesimo quingentesi-  
 mo vigesimo tertio vivis ereptus fuit.  
 In hoc tamen colloquio nondum res  
 decisa fuit; expectabantur enim iussa  
 Cæsaris, dum tandem, postquam jam  
 quintam & amplius hebdomadam Con-  
 nestabilis Genuæ moratus erat, Leur-  
 cyus, quem ad Imperatorem in Hispani-  
 am ablegabat, unacum Rurenfi Co-  
 mite advenit, ac literas Cæsaris manu  
 exarratas, atque signatas detulit, quibus  
 promiserat Imperator, cunctos Chan-  
 tellensis patti articulos, quibus innixus  
 Connestabilis e Gallia abiisset, integra  
 fide adimpletum, ac illi liberam, aut in  
 Hispaniam proficisci, aut in Italia per-  
 manere relictum iri, ceterum semper,  
 ubicunque fuerit, officiis generis sui cla-  
 ritate dignis honorandum.

§. LXXXV.

*Connestabilis Mediolani aliquamdiu  
 subsistens, ad Cæsaris castra  
 delatus.*

**H**aud vero absimile est, quod nonnul-  
 li referunt Scriptores, Cæsarem, u-  
 bi

Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.

hi nunciatum erat, Connestabilem cum solo Pomperano adventasse, ejusque e Gallis discessum nullos fuscitasse tumultus, Rurenfi Comiti secreta dedisse mandata, ut Connestabili omnino persuaderet, ne de Mediolanensi ditione excederet; verebatur enim Cæsar, ne in Hispaniam delatus nuptias cum Eleonora sibi promissas adimpleri urgeret, quas tamen Cæsar ratas habere noluit, nisi cuncta prius spolia, quæ ex Connestabilis defectione speraverat, accepisset. Ceterum Borbonius in Italia permanere maluit, scripsitque Cæsari, quod abs dubio in Italia magis quam alibi Imperatori utilis foret. Paulo post Vindascam petiit, ubi Cæsaris exercitus tertio a Mediolanensi urbe lapide castra metatus est, in quo jam tum secundum imperii locum in Italia tenebat, ac brevi supremus illius Dux a Carolo V. nominatus est.

§. LXXXVI.

*Bonnivetus, a Rege in Francia permanente, in Italiam missus.*

Tandem ex Connestabilis fuga Galliarum Rex haud obscure cognovit, ingentem in Regno suo conflari seditionem, illamque in apertas erupturam flammæ, quamprimum e regno suo

*Mem. du Bellai l. 2.*

Y 2

absens

Sæcul. XVI  
A.C. 1523.

absens esset, quapropter mutato in Italiam eundi proposito, Bonnavetum Admiralem cum exercitu suo illuc mittere constituit. Ergo Bonnavetus sub finem Mensis Augusti, seu forte ineunte Mense Septembri Alpes transcendit, Rege interea ad regnum suum redeunte, ut subortos ibidem tumultus dissiparet: Ne vero a factiosis inopino impetu obrueretur, e re fore censebat, illas revocare centurias antea conscriptas ab ejusmodi Viris, quos utpote Connestabili vel sanguine, vel amicitia junctos facile conspirationis socios fore timebat; ut autem ejusmodi mandatum aliis nullatenus sinistram ingereret suspicionem, has copias pro Regni præsidio a se speciatim selectas obtendebat. Insuper a se dimittere volebat Cataphractos, quos Alenconii Dux, Chabannius Marescallus, Comes S. Pauli, & Sabaudiaë Notus conduxerant, ut Vindocinensis Comitibus, Montpenferii & Lotharingiaë Ducis copias in officio confineret, atque in eas, si forte seditionem molirentur, irruere posset: verum superflue erant hæ cautelæ; nullus enim ex hisce Principibus in Regis fide titubabat, siue quod Connestabilis facinus detestarentur, siue eum sequi nimis periculosum esset.

§. LXXXVII.

*Bonniveti progressus in Mediolanensi  
Ducatu.*

Interea Bonnivetus sub primis expeditionis suæ auspiciis magnos in Mediolanensi ditione armorum progressus fecit; eoquod Prosper Columna urbes munire neglexisset; haud enim sibi persuadere poterat, quod Franciscus Rex aliunde tuendis regni sui finibus tantopere implicitus, bellum in Italia excitare auderet. Igitur Galli nullo ferme negotio Novarram, Viglebanum, totamque regionem citra Ticini flumen sine ullius prælii discrimine occuparunt. Equidem Columna exercitum suum ad hujus fluvii oram admoverat, nec tamen Bonnivetum Admiralem transitu prohibere poterat, cum cœli ficcitas hosti flumen undique vadofum reddidisset, quapropter Columna, quamprimum Gallos ad alteram fluminis ripam eluctatos compererat, mox cum suis inde recessit, cujus exercitum Admiralis, si necessaria usus fuisset diligentia, nec tridui aut omnino quatuor dierum moram Papiæ traxisset, facile delere potuisset, maxime, cum Mediolanensis urbs resistendo impar esset, atque ipse Columna ex hac Metropoli excedere constituis-



Sæcul. XVI  
A. C. 1523.

fet, eo quod Gallorum exercitui, plusquam quadraginta armatorum millibus valido non nisi quindecim suorum millia opponere potuisset. Nihilominus Prosper longa bellorum experientia edoctus, non raro ab hoste ea, quæ magis expedirent, negligi, ideo eas urbis partes, quæ minus firmæ erant, toto studio muniri curabat, tam felici successu, ut Bonnivetus longa obsidione frustra tempustereret, atque appropinquante hyeme, ipsaque pestilentia exercitum ejus depascente, pedem referre compellere-  
tur, nullo prorsus expeditionis suæ fructu, nisi quod suppetias tulerit Cremonensi arci, cujus præsidium ad octo duntaxat milites redactum fuit, postquam Bayardus eques urbem vano prorsus conatu expugnare tentaverat.

## §. LXXXVIII.

*Bajonna ab Hispanis incassum  
obsessa.*

*Petr. Angl.*  
*ep. 705.*

Sub idem tempus Cæsar in Hispaniis exercitus sui delectum habuit, moxque Germani Pedites superiorem Burgundiæ Comitatum intrarunt, Angli vero Caletum expugnarunt, ut inde junctis viribus cum Flandris Picardiam invaderent. Interea Lautrecus, qui post incursum Regis offensionem ibidem impe-

imperabat, nuncium accepit, quod Hispanorum ferme triginta millia prope Luesium convenirent, quapropter totus in eo erat, ut Fontarabiam comiteatu instrueret, firmo constituens animo, quod se Bajonnæ cum quibusdam illius Regionis Nobilibus includere vellet.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.

## §. LXXXIX.

*Fontarabia ab Hispanis expugnata.*

Jam anno priori Chabannius Marescallus Frangetum magni nominis Bellicem Fontarabiæ reliquerat, ut urbis hujus Præfecturam ageret, interea vero Hispani die decima sexta Septembris Bajonnam arcte cingebant, urbisque mœnia tanta tormentorum vi quatiebant, ut die decima octava ejusdem mensis ingens muri hiatus pateret. Fulciebat admodum opportune Hispanorum exercitum classis, quæ, cum urbs e regione maris minus firma esset, totam quaquaversus Provinciam ingenti terrore affecit; tanta tamen solertia Lautrecus singulis providerat, ut assultu validissimo frustra tentato Hispani obsidionem solvere compellerentur, unde cum ingenti suorum, qui in fossis jacebant, dispendio Fontarabiam cingere aggrediebantur, quam urbem Frangetus per summam ignaviam post

Mem. du  
Bellai l. 2.  
Mezerai ab-  
regé chron.  
to 4. p. 287.

Sæcul. XVI. unum alterumve obsidionis diem hosti  
 A. C. 1523 tradidit, haud graviore mulctatus  
 pæna, quam quod in urbe Lugdunensi  
 erecto ferali pegmate publice Nobilitatis  
 honoribus spoliaretur, perinde (inquit  
 Mezerajus) ac si ignavia potius infamiae,  
 quam mortis supplicio digna foret.

## §. XC.

*Fürstenbergius Bellidux in Burgundia  
 a Guisæ Comite cæsus.*

*Mem. du  
 Bellai l. 2.*

Minus prospera forte Hispani in Campania, ac Burgundia decertabant. Nam Mottæus de Noyers Borbonii Connestabilis Bellidux in Germania obviam procedebat Fürstenbergio Comiti, qui septem aut octo Germanorum peditum millia per superiorem Burgundiæ Ducatum duxit, ac primo in Campaniam excurrens Coiffyam, & Monteclarum exiguas urbes cepit, quarum præsidarii nonnisi ignava manu hostium impetus repellebant: Guisæ tamen Comes, qui in Trimollii locum Burgundiæ præerat, ubi harum urbium jacturam compererat, ac Fürstenbergium equitatu destitutum noverat, confestim cum Provinciæ Nobilibus, ac octingentis vel circiter nongentis cataphractis accurrit, collectamque Nobilitatem urbibus im-

imposuit, atque hostem nullo equitatu Sæcul. XVI.  
A C. 1523.  
tectum laceffere incæpit. Fürstenber-  
gius, cum in media hostium Regione  
tot copiis resistendo impar esset, in Lo-  
tharingiam secedere constituit, relictis  
ambabus, quas nuper ceperat, exiguis  
urbibus, nec tamen absque ingenti ul-  
timi agminis dispendio pedem referre  
poterat; quippe, ubi hi trajicere parabant,  
eos Guisæ Comes prope Novi-castrum  
aggrediebatur. His tota Germanorum  
expeditio finem accepit.

## §. XCI.

*Exercitus a Rege Angliæ in Picar-  
diam missus.*

Dum interea bellum in Italia, Bear-  
nia, atque in Campania ferveret,  
Rex Angliæ Franciam cum exercitu  
invadere parabat, illiusque imperium  
Suffolciæ Duci Mariæ, quæ Ludovici  
vidua erat, Marito demandabat. Ad-  
venerat Dux Calletum cum quatuorde-  
cim, aut ferme quindecim Anglorum  
millibus; ex quibus, junctisque aliis,  
quas Comes de Bure exercitus Belgici  
Bellidux adduxerat, copiis agmen con-  
stituebatur viginti quinque, aut omnino  
triginta peditum, ac quinque vel sex  
equitum millibus validum, cujus nume-  
ro Trimollius Dux, qui in Piccardia im-  
pera-

**Sæcul. XVI**  
**A.C. 1523.**

perabat, resitendo impar suos in aciem educere non audebat, jam contentus, ut urbibus discrimini magis expositis præsidia imponeret, ac de rerum statu Regem, qui tum Lugduni agebat, quantoctius certiozem redderet.

## §. XCII.

*Parisiensis urbs ob hostiles copias ad undecimum ab ea lapidem progressas ingenti terrore percussa.*

**R**ex accepto nuncio anxii omnino curis agitabatur; quippe hostilis exercitus jam plures Picardiæ urbes armis subjecerat, quinimo ad Oesiam flumen undecimo ab urbe Parisiensi lapide distitum processerat, nec tamen inde Rex penitus animo fractus, copias, quot quot poterat, in Picardiam transmisit, illisque Vindocinensem Ducem præfecit.

## §. XCIII.

*Hostis pedem referre a Vindocinensi compulsus.*

**A**ngli atque Germani comperto Vindocinensis adventu haud ulterius progredi statuerunt, veriti, ne hujus Ducis ac Trimollii copiis circumfusi a tergo invaderentur, quocirca Mondiderio,

rio, ac Nigella excefferunt, & utraque Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.  
urbe incendio deleta, in Arthesiæ Pro-  
vinciam sese receperunt; inde vero re-  
duces Bunium occuparunt, urbique An-  
glorum præsidium imposuerunt. Ast  
paulopost hanc civitatem recuperabat  
Trimollius, illiusque imperium Estreoo  
Domino credidit, denique Flandris ad  
sua remeantibus Angli exercitum suum  
denuo in naves Caletum versus impo-  
nebant, de expeditionis suæ progressu  
parum contenti, eo quod fructus inde ex-  
pectatione longe minores reportassent.

## §. XCIV.

*Supremus Rhodiorum Magister cum  
suis Equitibus profectus, ac  
in Cretam delatus.*

Hoc anno Christi millesimo quingen-  
tesimo vigesimo tertio die prima  
Januarii Villerius Liladamus Magnus  
Rhodiorum Magister cum residuo suo-  
rum Equitum manipulo e portu Rho-  
diensi solvit, ac Cretam versus conten-  
dit, postquam ducenti viginti præterie-  
re anni, ex quo Ordo S. Joannis Hie-  
rosolymitani Rhodi Insulam possederat,  
nunc vero inde abeuntem Liladamum  
Princeps Amurates infelicis Zizimi  
filius, qui Equitum sumptibus in hac In-  
sula alebatur, lubenti animo secutus  
fuiisset,

*Jac. Bourb.  
relat. du Sie-  
ge de Rhod-  
p. 684.*

*Spond. ad  
an. 1523. n. I.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.

fuisset, nisi Solimanus illum, ne fuga elaberetur, militibus custodiendum tradidisset. Equidem aliquamdiu cum duobus filiis suis, totidemque filiabus absconditus latebat, verum a Turcis repertus, ad abjurandam Christi fidem, quam amplexus fuerat, urgebatur, ille autem potius mortem oppetere, quam veram Religionem deserere statuit: quapropter Sultanus, cum operam perdidisse cerneret, Amuratem cum duobus filiis suis necari, ejusdem vero filias Constantinopolim abduci iussit.

Ceterum classis, qua Magnus Magister vehebatur, numerabat quinquaginta navigia, inter quæ partim erant diversæ magnitudinis triremes, partim vero Myoparones, variique generis phaseli. His (nequidem computatis Equitibus) plusquam quatuor millia hominum, qui tam Rhodum quam ceteras urbes eidem annexas incolebant, imposita erant. Post aliquot dierum navigationem violenta ventorum, marisque tempestas exiguam hanc classem ad Insulas Archipelagi dissipabat, ubi plures naves malo exarmatæ, aliæ nimio suppellectilis pondere demersæ, reliquæ hinc inde dispersæ post graves maris injurias tribus omnino diebus ac noctibus toleratas ad diversos Cretæ portus appulerunt, tandem vero ad illam  
navium

navium partem pervenerunt, quæ Ma-  
 gnum Magistrum adhuc comitabantur. Sæcul. XVI.  
 A. C. 1523.

Hic lacrimis temperare haud poterat,  
 dum potissimos ex illis, qui patriam  
 suam reliquerant adversam ejus fortu-  
 nam secuturi, partim morbis pressos,  
 non paucos omni commeatu destitutos,  
 alios vero semi-nudos ac nequidem in-  
 dusio tectos cernebat, eoquod sarcinas  
 suas in mare projicere, tempestatis  
 injuria compulsi fuissent. Denique Ma-  
 gister cum suis in Creta perbenigne exce-  
 ptus, ibidem tamdiu substitit, donec la-  
 ceræ naves refici potuerint.

§. XCV.

*Equites apud Magnum Magistrum  
 per Papæ Constitutionem  
 persistere compulsi.*

Inde Magnus Ordinis Magister plurimos  
 Legatos ad Papam, atque ad omnes  
 ferme Principes Christianos ablegabat,  
 eosque de Rhodi Insulæ jactura certio-  
 res reddebat, ab eis tam indigne dere-  
 lictum se fuisse questus: cum vero non  
 abs re pertimesceret, ne Equites adhuc  
 vita superstites adversam sortem pertæsi,  
 ad suam quisque patriam reverterentur,  
 hinc Legato, quem Romam decreverat,  
 negotium dedit, Pontifici exponeret E-  
 quitum digressu totum Ordinem aliunde  
 fatali



Sæcul. XVI. fatali hac calamitate sat pressum, omnino extinctum iri, proin ab ipso rogari, ut Sanctitas sua imminente malo remedium poneret. Papa Magistri petitionem omnino æquam existimans, ut Equites in Magistri obsequio persisterent, Constitutionem edidit, qua eis in virtute sanctæ obedientiæ injunxit, ut Magni Magistri imperio subjecti permanerent, refragantibus vero anathematis pœnam comminatus est. Obtentam hanc Constitutionem Legatus quantocyus Messanam transmisit; eo enim Liladamum jam appulsum censebat, eo quod jamjam ineunte Martio e Creta solvisset, verum sævissima tempestate jactatus nonnisi ad initium Mensis Maji cum exigua classe sua Messanæ portum ingredi potuit; vix autem eo advenerat, cum Pontificis literas, quas ei Messanensis Prior tradidit, non sine animi sui lætitia reciperet, easque coram suis Equitibus perlegi juberet, qui illas cum summa demissione exceperunt, palam professi, se jussis prompto animo obscuraturos.

## §. XCVI.

*Magnus Magister civitate-veteri appulsus.*

*Spond. ann.* **E**o tempore pestis Messanam invaserat, quocirca Ordinis Magister quanto-  
*1523. n. 3.* cius

cius inde secedens, ad Bahiæ Sinum contendit, ibidemque haud procul a <sup>saecul. XVI.</sup> ~~per-~~ <sup>A.C. 1523.</sup> vetustæ urbis Foiaë ruinis castra metatus est, ac post unius mensis moram e portu classem in altum detorsit, ac paucos infra dies Civitatem - veterem pervenit, indeque suorum Equitum quemdam Romam ablegavit, qui a Papa colloqui gratiam exoraret; prævenerat tamen illum Conchensis Episcopus, qui Papæ Adriani nomine Magistro significabat, quod eum tam mature adventurum haud credidisset, proin aliquamdiu quieti indulgeret, donec de alloquii copia misso Nuncio certior fieret.

§. XCVII.

*Colloquium a Magistro petatum ob Papæ infirmitatem dilatatum.*

Adversa hæc rerum vicissitudo quæ dantennens Magistri animum afflixit, <sup>Bosius hist. Rhod. l. 2.</sup> tempori tamen cedere coactus est. In-<sup>p. 20.</sup> terea temporis summus Pontifex Romæ die decima quinta Augusti in Ecclesia ad S. Mariam Majorem, ubi assistentibus cunctis Cardinalibus rem divinam peregit, bellum adversus Gallos solemniter nunciari iussit; cum vero hæc solemnitas multum temporis absumeret, Papa haud parum inde fessus, dum ad Palatium redibat, febri correptus est.

Hæc

**Sæcul. XVI.**  
**A. C. 1523.**

Hæc adversa Pontificis valetudo præpediebat, quo minus Rhodiorum Magister ad alloquium, quod ardentè desiderabat, admitti poterat, evolutis tamen quindecim diebus Adrianus eidem significari jussit, ut Romam peteret.

§. XCVIII.

*Magister Romæ ad alloquium Papæ  
admissus.*

Accepto nuncio Magister quantocius sese itineri accinxit, eumque cuncti Equites sui comitabantur; cum vero adhuc multum ab urbe abesset, eidem Anna Morentiaca ejus Neptis, quæ tum Romæ negotia sibi a Francisco Galliarum Rege demandata curabat, obviam cum splendido comitatu processit: Vix autem Romam venerat Magister, cum quivis eum insolitis etiam honoribus cumulare certaret; nam occurrebat ei Suesæ Dux Caroli V. Legatus, illumque ad ipsum quoque Pontificis Palatium comitabatur, nec minus ipse summus Pontifex, quamvis ob morbi vim viribus exhaustus esset, de sede sua assurgens intrantem excepit, imo aliquot passibus obviam procedens, tenerrimo illum amplexu honoravit, mediumque inter Cardinales considerare jussit, ubi multis in ejus laudem dictis pollicitus est,

est, se nihil non acturum, ut illius Ordo Sæcul. XVI.  
 Christianæ Religioni adeo utilis con- A.C. 1523.  
 fervaretur; ac denique valere jussum  
 appellavit *magnum Christi athletam, & fi-*  
*dei Catholicæ accerrimum propugnatorem.*

## §. XCIX.

*Unicus ante mortem Pontificis in Car-*  
*dinalem nominatus.*

**H**aud dudum Papa recuperandæ va-  
 letudinis spe detinebatur; novo e-  
 nim febris accessu obrutus, brevi ad ex-  
 tremum vitæ periculum redigebatur;  
 igitur cum horam, qua regiminis sui ra-  
 tionem Deo redderet, appropinquare  
 sentiret, sacro Viatico sese muniri præ-  
 cepit, cunctosque Cardinales ad suum  
 cubile accersitos ad procurandum fidei  
 Christianæ, atque Ecclesiæ incremen-  
 tum adhortatus est: Cum autem toto  
 Pontificatus sui tempore nullum purpu-  
 ra decorasset, priusquam moreretur,  
 Cardinalem creare constituit, forsque  
 cecidit super Guilielmum Enkenvord-  
 dium natione Germanum, quem ob præ-  
 clara ejus merita, ac raras animi do-  
 tes plurimi habuit. Is primo Antvver-  
 piæ Canonicus erat, postea ab Adriano  
 ad Pontificatum evecto Ultrajectensi  
 Præpositura augebatur, cum vero Papa  
 ejus præsentiam Romæ necessariam du-  
 ceret,

*Val. Andr.*  
*bibl Belg.*  
*Gazet. hist.*  
*des Bais-bas*  
*Aubery des*  
*Cardinaux*  
*Paul. Jov.*

*Hist. Eccles. Tom. XXXIV. Z ceret,*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1523. ceret, illum Romanæ beneficiorum Ecclesiasticorum curiæ præfecit, ac demum Dertusensem Episcopum nominavit.

§. C.

*Adriani VI. Papæ obitus.*

*Ciacon. in vit. PP. tom. 3. p. 426.*

*Duchefne hist. des Papes, vie d'Adr. VI.*

*Guicc. lib. 15 Onuphr. in vit. Pont.*

*Oldoinus apud Ciacon.*

*Val. And. bibl. Belg.*

*Paul. Jov. in vita*

*Adrian. VI.*

*Le Mire in bibl. eccl. & dog. Belg.*

Hujus electioni haud diu vita superstes fuit Adrianus VI. rebus humanis ereptus inclinato jam die decimo quarto Septembris, (\*) postquam vixisset annos sexaginta quatuor, menses sex, dies tredecim, sedisset autem annum unum, menses octo, dies sex. Haud ingrata accidit ejus mors Romanis, qui animo non tam bono erga illum erant affecti, siue quod alienigena esset, siue factum atque magnificentiam a suis Prædecessoribus tantopere quæsitam abominaretur: Unde non raro querebantur, quod tenacior, nimirum, nec prodigus, nec in luxum effusus esset; immerito enim hanc calumniam subibat, eo quod in omnes beneficis extiterit. Præterea abs dubio Romanis minus acceptus erat eo ex nomine, quod ad emendandos Cleri mores toto studio con-

(\*) Ciaconius ejus obitus diem ad vigesimam quartam Septembris refert. Vide annotationem ad §. LXVI.

conversus, multas sustulisset corrupte-  
 las, quæ in Curia Romanæ officiis, Be-  
 neficiorum collationibus, ac reservatio-  
 nibus, superfluis sumptibus, nec non in  
 Indulgentiarum concessionibus irrepse-  
 rant: quapropter lætitia, quam Roma-  
 ni ex ejus morte conceperant, illum  
 veneno fuisse sublatum suspicandi argu-  
 mentum præbuit; attamen nil anti-  
 quius habet plebs, quam ut similia de  
 illustrium Virorum obitu suspicetur.  
 Nec deerant tamen, qui eo adhuc vi-  
 vente sæpius palam testabantur, se ejus  
 mortem exoptare, quapropter frequen-  
 ter ejus vitæ insidias struebant. Ejus-  
 modi exemplum recenset Paulus Jovius  
 his verbis: *Marius Placentinus vir toga-  
 tus, cum ex sublatis ab Adriano non-  
 nullorum officiorum redditibus privatus esset  
 honestæ vitæ commodis, immane facinus Pon-  
 tificem confodiendi vecordi animo conce-  
 pit, ita, ut cum egressurum cubiculo ali-  
 quamdiu frustra expectasset, sese demum eo-  
 dem ferro transverberavit, sive commotæ  
 bilis impetu, sive atrocioris supplicii timore,  
 eo quod socius facinoris, cui rem communi-  
 cabat, nec constituto in loco esset repertus.*  
 Aliud quoque vitæ discrimen subibat,  
 cum quadam die fornix Pontificii Sacel-  
 li, quod rem divinam peracturus acces-  
 serat, derepente in terram decideret,  
 ac Helvetiorum nonnullos coram eo

**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1523.**

opprimeret, ubi Præsules, qui Papam comitabantur, sua agendi ratione haud obscure demonstrabant, quod eis haud adeo ingratum accidisset, si potius Papa, quam Helvetii hoc fato occubisset. Quinimo urbana plebs eo impietatis est progressa, ut in Dei providentiam, qua Pontifex vitam suam incolumem periculo subduxit, execrationes evomeret, cum vero ejusmodi sermones cujusdam Cardinalis Sacellanus effunderet, adeo non a suo Domino objurgationem, debitamque pœnam accepit, ut potius applausum promereri videretur. Verbo, non alia ex causa Adrianus populi invidiam in se concitabat, quam quod publicis conviviiis non uteretur, sed veluti Religiosus privatim vesceretur, atque in omnibus parce, fatique frugaliter viveret, quæ agendi ratio, cum a suorum Prædecessorum fastu longe quidem aliena, Sanctis tamen primorum sæculorum Pontificibus apprime consona esset, hinc plerisque aniam dedit, ut iniquo prorsus judicio dicerent: *Adrianus fuit sane optimus Sacerdos ac Christianus, sed Pontifex revera mediocris.*

*Pallavic. hist.*  
*Conc. Trid.*  
*l. 2. c. 9.*

*Adriani Papæ opera.*

Scripsit Adrianus quædam opera, quorum excellentia inter Scriptores Ecclesiasticos numerari promeritus est; edidit enim, cum Lovanii Professor sacre Theologiæ adita referaret, in quatuor sententiarum libros quasdam expositiones, quas ut Pontifex iterato prælo subjici jussit, nil in illis immutari passus, ne quidem illam sententiam, qua asseruit, quod Papa non sit infallibilis, sed in quæstionibus etiam ad fidem spectantibus errare possit. Elucubravit insuper duodecim quæstiones, ab eo inscriptas: *Quæstiones quodlibeticas* quæ Lovaniensibus Anno Christi millesimo quingentesimo decimo quinto, & Parisiensibus literis sequenti, ac demum Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo primo excusæ prodierunt. Composuit itidem præter sermonem de superbia adhuc libellum, cui titulus: *Computus hominis agonizantis*, quos tractatus cum adhuc Lovanii Theologiam doceret, publici juris fecit, dein Pontificem factum haud alia scripsisse constat, quam epistolas ad Marcum Marulum, Germaniæ Principes, ac præcipue ad Fridericum Saxoniam Electorem,

*Auctor oper.*  
*chronol. &*  
*nomencl.*  
*Card.*



**Sæcul. XVI.** quem impense monet, & urget, ne Martinum Lutherum foveret, sed e ditio-  
**A.C. 1523.** sua expelleret. Ceterum Adrianus sepultus fuit in ædibus S. Petri inter Pium II. & Pium III. Pontifices in tumulo haud magnifico repositus, cui insculpta erat hæc inscriptio: *Hadrianus VI. hic situs est, qui nihil sibi infelicius in hac vita, quam quod imperaret, duxit.*

*Duchefne  
 vies des Papes  
 Adrien.  
 VI p 385.  
 Ciacon. to. 3.  
 p. 438.*

Porro Enckenvordius Cardinalis egregiam gratissimi animi liberalitatem eidem exhibuit, atque ob accepta beneficia magnifici operis sepulcrum elegantissimis sculpturis atque ectypis ornatum non multo post extruxit, quod in Germanorum Ecclesia ad S. Mariam de Anima collocatum fuit, cum proluxa admodum sepulcrali inscriptione, quæ vitæ ac dignitatum, quibus Papa inclaudit, summam exhibet.

## §. CII.

*Cardinales pro eligendo Papa Conclave ingressi.*

Justis de more Adriano persolutis, Cardinales numero triginta sex conclave ingressi sunt, cujus custodiam Magno Rhodiorum Magistro commiserunt, qui hoc munus cunctis Equitibus suis rubra toga, ac Cruce candida insignitis stipatus auspiciari voluit.

## §. CIII.

## §. CIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.*Medicæus & Columna Cardinales  
Pontificatus Competitores.*

Inter Cardinales præcipui erant Medicæus, & Columna, quorum uterque sibi adhærentes numerabat, indeque ingens æmulatio exoriebatur; quamprimum enim unius factio prævalere videbatur, mox alterius fautores illam imminuere, suam vero augere omni ope & opera adlaborabant. Ceterum diversa suffragantium studia ferme in nullum alium præter Mædicæum & Columnam ferebantur, eo quod ambo præ cæteris meritorum amplitudine, aut saltem generis nobilitate atque opulentia eminent; cum autem hi duo Competitores alter alteri viam ad Papatum obstrueret, veteres Cardinales Columnæ devoti hoc dissidium pertæsi nova rursus inibant consilia, ut ad suas partes duos pertraherent Cardinales, quorum suffragia legitimæ illius electioni deerant; ast horum conatus juniores Medicæo addicti eludebant, nam ut illorum vota distraherentur, Medicæus per fautores suos Urfinum Cardinalem, qui Pompæi Columnæ capitalis erat inimicus, eligendum proposuit. Istius electio, cum Pompejo minus grata esset, pro Farnesio

*Guicc. l. 15.  
Onuphr. in  
vita Pontif.*

Sæcul. XVI. A.C. 1523. Cardinale suam operam impendit: ast suffragantium numerus justo inferior erat. Denique Cardinalium potissimi harum dissensionum, quæ jamjam ultra sex hebdomadas tenebant, tædio affecti, in pleno Patrum confessu palam declarabant, quod Pontificem tandem eligere, necessitas suaderet, cum tanta alias mora toti Christianæ Reipublicæ summo pere noxia foret. Ipsi quoque Cardinales Medicæus, atque Columna ejusmodi contentionibus finem imponere certabant, ac cum suis quisque decernebant, postera die confessum haud esse solvendum, nisi prius Papæ electio absoluta foret; jam enim populus multum conqueri audiebatur, atque sacrum Collegium rogari faciebat, ut comitia sua brevi finiret. Altera ergo die summo mane plures Cardinales Medicæi cubiculum accedebant, moxque in vulgus rumor spargebatur, ibidem Papam fuisse renunciatum, ejus tamen nomen adhuc ignorari. Columna, ubi comperebat, Medicæum pluribus Cardinalibus stipatum e cubili suo egressum palam dixisse, quod vellet Pontificis electionem promovere, haud parum verebatur, ne forte Urfinus Cardinalis eligeretur, quinimo id sibi eo certius persuadebat, quo lætiori animo, ac magis hilari vultu eundem penes Medicæum euntem

con-

conspexerat: Igitur pensato horum omnium concursu Columna, haud temere censebat, si Medicæum Papatu excludere pertinacius moliretur, hunc abs dubio nil non acturum, ut Urfinus eligeretur: proin se coactum iri, ut ad Pontificatus apicem evectum venerari deberet Virum Columnensibus infensissimum. Hac ratione permotus suo quoque suffragio in Medicæum conspiravit; prius tamen sibi adhærentes induxit, ut excluso Cardinale Urfino plures alios proponerent, *Res ita se habuit*, inquit Pallavicinus, *Pompejus Columna nequivit impetrare a Senioribus fere cunctis Gallicarum partium, ut Jacobatium promoverent, caussantibus, eum esse Cæsaris studiosum. Qua re indignatus exclamavit: Ergo partium ductor, non Christi Vicarius creandus est?* Mox etiam Cardinalem tit. SS. quatuor Coronatorum, magni meriti, ac profundæ eruditionis Virum nominabat, ceterique Cardinales aliis Medicææ factioni addictis, ut in hunc quoque sua conferrent suffragia, persuadere conabantur; ast quamvis ipse Medicæus consentiret, nihilominus plurimi ejus amici oblucebantur.

Sæcul. XVI.

A.C. 1523.

Pallav. hist.

Conc. Trid.

l. 2. c. 9.

Proponebantur insuper plures alii, atque inter ceteros Cardinalis Ostiensis, ejusque electionem probabant non pau-

Sæcul. XVI ci, eo quod non modo annorum senio  
A.C. 1523. gravis, sed & solida prudentia conspi-  
 cuus ac publicis negotiis prospere ge-  
 rendis apprime idoneus esset. Ast Car-  
 dinalis de Monte hasce cunctationes per-  
 tæsus exclamabat, quod hisce alterca-  
 tionibus nunquam finis imponeretur,  
 nisi nominaretur is, qui Medicæo, Urfino  
 & Columnæ Cardinalibus ex æquo ac-  
 ceptus esset. In eandem quoque senten-  
 tiam ibat Cæsarinus, proponebatque  
 Farnesium, qui omnibus dotibus ad di-  
 gne explendam summi Pontificatus di-  
 gnitatem necessariis præditus erat. At-  
 tamen Medicæus memor, quod Colum-  
 na suæ factioni promississet, se Medicæi  
 electioni assensurum, verebatur, ne sen-  
 tentiam suam mutaret, id vero, ut im-  
 pediret Medicæus, rursus Cardinalem  
 Urfinum proposuit, quo audito Cardi-  
 nalis de Monte medius inter Medicæum,  
 & Urfinum dicebat: „ Papam ut elige-  
 „ remus, convenimus, jam satis, ni  
 „ fallor, hanc rem distulimus. „ Co-  
 lumna, ubi omnes in querimoniam e-  
 rumpere cernebat, veritus, ne Urfinus  
 eligeretur, ad Medicæam factionem,  
 quæ jamjam de cubili exire volebat, se-  
 se convertit, dixitque: „ Quorsum in  
 „ tanto numero abitis? num Cardina-  
 „ lem Urfinum eligere vultis? „ Ad  
 hæc eorum unus respondit: „ Quid Me-  
 „ dicæus

„ dicæus animo volutet , exacte com-  
 „ pertum non habemus, eum tamen in  
 „ id propendere, vero simile est. „ His  
 verbis augebatur Columnæ inquietudo,  
 jamque in eo erat, ut pro fide data in  
 Medicæi electionem consentiret.

Sæcul. XVI.

A.C. 1523.

Rem paulo aliter refert Pallavicinus, *Pallav. l. 6.*  
 hæc scribens: *Columna Medicæum nactus*  
*petiit, ut aliquem ex juvenibus suarum par-*  
*tium proponeret; statim ille duos, vel tres*  
*proposuit, nulla sui habita mentione. Tum*  
*Columna, Cur, inquit, temetipsum præ-*  
*teris? Cui alter respondit: Nolo pluri-*  
*bus invitis rem meam promovere: Qua*  
*Medicæi moderatione adeo captus est Colum-*  
*næ animus, ut confestim, quantum satis es-*  
*set suffragiorum, ad ejus electionem conver-*  
*terit, ipseque eidem accesserit. Ast ut res*  
 se habuerit, id certum est, quod Co-  
 lumnensis factio in electionem Pontifi-  
 cis conspirare haud potuerit, eoquod  
 illius caput talem, qui ejus amicis di-  
 spliceret, eligi constanter renueret: nunc  
 vero illorum pertinaciam exosus cum  
 Medicæo in gratiam rediit. Refert Guic-  
 ciardinus, quod Medicæus arrepto ca-  
 lamo Singrapham exhibuerit, in qua  
 Columnæ præter Palatium suum, in  
 urbe magnificentia nulli secundum, eti-  
 am Vicecancellariatus officium promit-  
 tebat.

§. CIV.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.

§. CIV.

Medicæus Cardinalis in Papam salu-  
tatus, ac Clemens VII. dictus.

Cum ergo Columna Medicæo cum se-  
ptem vel octo suffragiis a suo arbi-  
trio dependentibus accessisset, nulli am-  
plius difficultati obnoxia erat illius ele-  
ctio; unde unanimi omnium suffragio  
hoc anno millesimo quingentesimo vige-  
simo tertio die decima nona Novembris  
Pontifex salutatus est, postquam con-  
clave menses duos, & amplius tenuit.  
Agebat tum electus quadragesimuma  
quintum ætatis annum.

*Duchesne*  
p. 388.

*Spond. ann.*

1523. n. 25.

*Gnec. l. 15.*

*Raynald. an.*

1523. n. 125.

*Ciacon. in*  
*Clem. VII.*

tom. 3. p. 443.

Peracta hac electione Sacelli porta  
aperiebatur, & sacrorum rituum Magi-  
ster ingredi iussus Neo-electum Papam  
Pontificio habitu ornavit, postea autem  
ad aram in sede collocabatur, cujus pe-  
des cuncti Cardinales sacro osculo vene-  
rabantur, ubi tenero prorsus affectu sin-  
gulos amplectebatur. Voluit is propri-  
um Julii nomen retinere, sed ad non-  
nullorum monitiones, hac religione ta-  
ctus, quod omnes Pontifices, qui no-  
men non mutassent, brevi mortem op-  
petiissent, ipse quoque nimia credendi  
facilitate devictus Clementis VII. ap-  
pellationem assumpsit, nulla habita ra-  
tione illius Anti-papæ, qui in schisma-  
te

te id nominis tulisset. Dein cum populo turmatim confluente bene precaretur, ad Basilicam S. Petri deferebatur, sequentibus eum Cardinalibus & populo, ubi itidem honores, quibus in conclavi affectus erat, publice accepit.

## §. CV.

*Historia Clementis VII. Papæ.*

Patrem habuit hic Pontifex Julianum de Medicis, qui Florentiæ Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo in conjuratione Paziorum interfectus obiit, post cujus mortem ex quadam foemina (\*), quæ pro palam legitima uxor non habebatur, filius posthumus a vulgo appellabatur Juliani Nothus. Hunc Laurentius, qui cædis periculum in eadem conspiratione evaserat, summa cura educari jussit, eumque in proprio suo Palatio Magistris longe celeberrimis instituendum tradidit. Erat cunctis suæ familiæ percarus, eo vel maxime, quod lineamentis oris totoque corporis habitu Juliano Patri suo simillimus esset, qui dein primo Hierosolymitanus S. Joannis Eques & Capuæ Prior creatus est, cum vero ejus

Patruus

(\*) Pallavicinus Hist. Concil. Trid. lib. 2. cap. 10, illam Florentiam appellat.

Sæcul. XVI.  
A C. 1523.

Duchefne  
hist. des Papes p. 381.  
Ciaccon. l. 6.



Sæcul. XVI  
A.C. 1523.

Patruus Julianus de Medicis assumpto Leonis X. nomine, ad Pontificatus apicem ascendisset, hic in ipso coronationis suæ die Julium sacris initiatum, Archiepiscopum Florentinum elegit, quem etiam mense Septembri anno millesimo quingentesimo decimo tertio Cardinalem, ac S. R. E. Pro-Cancellarium designavit. Nec secundæ fortunæ cursus natalium vitio sistebatur, imo ne forte ob id redarguentium calumniam pateretur, natales ipsius legitimi in judicio probati sunt, quamprimum Leo ad Petri Cathedram evehctus fuerat, id attestantibus ipso, quem Julii Mater habebat, fratre, necnon quibusdam Religiosis, qui inter Patrem & Matrem minus solemne matrimonium intercessisse affirmabant, cujus valori innixa foemina statim post Juliani mortem pro legitima uxore habebatur. Porro Leonis X. fatis functo Julius Florentiam rediit, inde vero ineunte hoc anno reversus, ibidem magni nominis sui laudem sibi conciliabat, tantumque gratia atque auctoritate apud Adrianum VI. valebat, ut Volateranum Cardinalem (\*), qui ejus Ministrorum præcipuus erat, officio suo

move-

(\*) Erat ille Soderinus, quem per summam ingratitude summo Pontifici insidias Aruxisse, supra lib. 129. §. 68. meminimus.

moveret, ac in arce S. Angeli custodien- Sæcul. XVI.  
 dum curaret, & illo abhinc tempore cun- A.C. 1523.  
 ta ipse summi Pontificis negotia mo-  
 derabatur, quo munere tam præclare  
 ungebatur, ut ejus fama, honorque  
 indies magis magisque cresceret, eo  
 potissimum nomine, quod omnium Chri-  
 stianorum Principum arma adversus  
 Turcas unire, summo studio adlabo-  
 raret.

## §. CVI.

*Rhodii Equites novi Pontificis præsi-  
 dio suffulti.*

Cum fere omnes in electione Julii Me- Bosio hist.  
 dicaei ad supremum Pontificatum equit. Rhod.  
 communi lætitia exultarent, præ om- l. 2.  
 nibus Villerius Liladamus Supremus  
 Rhodiorum Magister immodicas gaudii  
 significationes præsefererat; cum enim  
 hucusque præter Julium nullus ex Or-  
 dinis sui Equitibus ad supremam Ponti-  
 ficatus dignitatem evectus fuisset, tan-  
 ti honoris excellentia lætus, haud du-  
 biam spem conceperat, fore, ut Neo-  
 electus Papa illius Ordinis, cujus ipse  
 met membrum fuerat, memor esset, ei-  
 demque tutum procuraret asylum, in  
 quo illatum sibi damnum Equites repa-  
 rare, ac Christianam fidem adversus in-  
 fideles rursus strenue defendere possent.  
 Nec sua Magistrum spes fefellit; quip-  
 pe

Sæcul. XVI  
A.C. 1523.

pe novus Pontifex, quamprimum a ritibus ante & post ejusmodi electionem adhiberi solitis liberum uancifcebatur temporis spacium, mox magnum Magistrum ad plenum Purpuratorum confessum vocavit, ubi Ordinis Pro-Cancelarius ærumnas in obsidione perpeffas, ipsamque Insulæ expugnationem, aliaque tam ab obsessis quam a Turcis gesta tam flebili sermone prosequeretur, ut una omnes commiserationis sensu tacti, lacrimis temperare haud possent, atque ipsemet summus Pontifex pariter cum ceteris dolore obrutus polliceretur, se pro viribus suis potens Ordini auxilium certo præstiturum.

§. CVII.

*Coronatio Pontificis.*

Neo-electus Pontifex, priusquam inaugureretur, literas dedit ad Gallicarum Regem, quibus illum de sui electione certiore reddidit, fidemque fecit, se pro munere Pastoralis sollicitudinis nil non acturum, ut pax & tranquillitas inter Reges ac Principes Christianos restitueretur, ac fides Christiana adversus Turcarum Tyrannidem defenderetur. Præterea spondebat, se omni invigilaturum occasione, ut affectum, quo Nationem Gallicam prosequeretur, lucu-

luculentis comprobaret argumentis, se- Sæcul. XVI.  
 que semper illius jura, quamdiu Dei le- A. C. 1523.  
 gibus consona forent, toto studio pro-                       
 curaturum.

Die vigesima sexta Novembris Cle- Ciaccon. pag.  
 mens a Marco Cornaro S. R. Ecclesiæ 445. Et Ol-  
 Archi-Diacono coronabatur. Sub pri- derini in ad-  
 mis Pontificatus sui auspiciis Ecclesia- dit Ciaccon.  
 stica ditio ingenti tranquillitate frueba- p. 458.  
 tur; quippe Ferrariæ Dux, qui sede va-  
 cante Reggium recuperaverat, simul-  
 que Mutinam rursus sibi subjicere nite-  
 batur, comperta electione Cardinalis  
 Julii Medicæi, quem plurimi habebat,  
 Ferrariam rediit, armaque posuit. Præ-  
 terea in toto Ecclesiastici Status ambitu  
 nullus vel minimas ciere turbas audie-  
 batur. Verum non eadem felicitatis  
 constantia posterioribus arrisit tempori-  
 bus, vixque ullus summorum Pontifi-  
 cum recenseri valet, qui gravioribus un-  
 dique tumultibus agitatus fuit.

§. CVIII.

*Inventio corporis S. Thomæ Apostoli.*

Sub Prædecessoris sui Pontificatu hoc  
 anno Domini millesimo quingentesi-  
 mo vigesimo tertio Lusitani (ut fertur)  
 Meliaporæ, maritima urbe Orientem ver-  
 sus in Indiis sita, corpus S. Thomæ A-  
 postoli reppererunt: Cum enim iidem jam  
*Hist. Eccles. Tom. XXXIV. A a antea*

Sæcul. XVI.  
A. G. 1523.

*Maffee hist.*

*Ind. l. 8.*

*Kircher*

*Chin. illust.*

*p. 91.*

*Turfelin. vi-*

*ta Xaver. l.*

*§ c. 14.*

*Baron. an.*

*236. n. 5.*

*Spond. ann.*

*1523. n. 23.*

*Baillet. vie*

*de S. Thom.*

*t. 3. p. 250.*

antea quamdam inscriptionem invenissent, quæ hunc Apostolum ad pedem cujusdam Crucis, quam in eadem civitate erexerat, lancea perfossum fuisse testabatur, Joannes III. Lusitaniæ Rex Eduardo Mnesati in Indiis Pro-Regi negotium dedit, ut in sacrum hoc corpus inquireret. Eduardus Emanuelis Friæ industriam selegit, qui etiam sub antiquæ urbis Meliaporanæ rudibus in quodam Sacello ab eodem Apostolo, ut ferebant incolæ, extructo, hujus Sancti corpus reperit.

Referunt Historici, quod inventum illud fuerit, alte defossum in arca lapidea unacum cuspide de lancea, qua martyrium consummavit, præter quam etiam ibi reperiebatur vas fictile & frustum baculi, quo viatores utuntur. Insuper inventa quoque fuere corpora Sagami Regis a S. Thoma ad fidem conversi, & alterius Discipuli. Hujus inventionis felicitate animatus Lusitaniæ Rex Meliaporam, quam post hæc S. Thomæ Paulo post tam S. Apostoli, quam Sagami Regis corpora Goam, quæ Metropolis est versus Occidentalem plagam ad Peninsulam sita, fuere delata, ubi hæ sacræ Reliquiæ hodie in Ecclesia huic Sancto nuncupata ingenti populorum Religionem asservari dicuntur.

§. CIX.

§. CIX.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.

*Ingens schisma Ecclesie Constantinopolitanæ.*

Sub idem tempus in Ecclesia Constantinopolitana ob Patriarchatum ingens schisma exortum est: Cum enim Jeremias Patriarcha Theoleptis Joannicenis Episcopi Successor Jerosolymam ad Sepulcrum Domini peregrinaretur, nonnulli ex Clericis, qui eidem infensi erant, illius absentia freti Joannicium Sozopolitanum Episcopum in Jeremiæ locum intrudi curarunt, ac quingentos omnino aureos ultra solitum tributum dederunt, ut Sultanum Solimanum II. suis votis propitium redderent; unde Græcorum ambitio hoc tributum jam ad quatuor aureorum millia evexit. Verum cum Jeremias Jerosolymis redux alterius intrusionem comperiisset, atque aliunde sibi compertum haberet, quod Joannicius nobilitati, & populo, nec non plurimis e Clero execrationi esset, ideo illum unacum omnibus iis, quorum suffragiis Thronum invaserat, anathemate perstrinxit, dirisque devovit, hancque pœnam a tribus aliis Orientalibus Patriarchis, qui ad eum conveniant confirmari voluit: Igitur ejecto Joannicio Jeremias per potentes Ibraimi

Spond. ann.  
hoc n. 27. 62  
ann. 1523  
num. 15.

Sæcul. XVI  
A.C. 1523.

*Turcogra-*  
*cia l. 2.*

Bassæ amici sui favores Sedi restitutus est, ea tamen lege, ut quingentos illos aureos, quos Joannicius addiderat, penderet. Id cum Jeremias constanter recusaret, & potius Patriarchatu abire vellet, populus tributi augmentum ejus loco solvere promittebat, & Jeremiam cum ingenti gaudio in Throno collocabat: Joannicius vero paulo post excommunicationi immortuus ac in modum tympani inflatus repertus est.

§. CX.

*Plurium Cardinalium obitus, ac præ-*  
*primis Sedunensis, seu Matthæi*  
*Schinneri.*

*Ciacop. in*  
*Jul. II. t. 3.*  
*p. 292.*  
*Victorel. ib.*  
*Paul. Jov.*  
*in elog.*  
*Franc. Aug.*  
*ab Eccles. in*  
*hist. Ped.*  
*Aubery vies*  
*des Cardi-*  
*naux.*

Numerantur hoc anno seu priori ad finem vergente sex Cardinales satis functi. Inter eos primus est Matthæus Schinner, seu Sheinner, qui ex antiquissima atque illustri familia in Vasia a præcis Zmitweg dicta ortum duxit, dein is Nicolao Schiner ejusdem Patruo Sedunensem Ecclesiam tenenti subrogabatur, eratque Præsul inter præclarissimos ævi sui Viros facile princeps, magna rerum humanarum prudentia præditus, nullo labore fractus, ac Sedis Apostolicæ necnon Imperii obsequio addictissimus, Gallis vero valde infensus, ut supra perspeximus: Unde Franciscus

I. Galliarum Rex per sæpe dicere solitus  
 erat, *plus sibi periculi Matthæi Sedunensis  
 facundiam, quam tot Legionum ejus gentis  
 cuspides attulisse.* Obiit Romæ Mense  
 Septembri juxta nonnullos Anno mille-  
 simo quingentesimo vigesimo secundo,  
 quamvis Ciaconius ejus obitum ad se-  
 cundam Octobris, alii vero Scriptores  
 ad Decembrem rejiciant.

æcul. XVI.  
 A. C. 1523.

§. CXI.

*Petrucii Cardinalis extrema.*

Alter ex Cardinalibus, qui itidem mor-  
 tui sunt, erat Raphael Petruccius  
 Nobilis Senensis, per celebri Alphonso  
 Petruccio Suannensi Episcopo proxime  
 sanguine junctus. Patrem is habuit  
 Pandulphum Petruccium, a Julio II.  
 Papa Anno Salutis millesimo quingen-  
 tesimo undecimo Cardinalium Collegio  
 adscriptum, qui Borghesii Petruccii fra-  
 ter defuncto Patre suo Senensem Prin-  
 cipatum possederat, matrimonio junctus  
 Victoriæ Piccolominææ, quæ per quin-  
 quaginta sex annos Vidua omnium, quæ  
 sexus sui conditionem magis exornant,  
 virtutum splendore eminuit, in matri-  
 monio autem procreavit Agnetem de Pe-  
 trucciis, quæ Alexandro Socino despon-  
 sata infelicem genuit filium Faustum So-  
 cinum, de quo infra sermo redibit. Ce-  
 terum

*Aubery l. c.  
 Ciac. p. 349.  
 Paul. Jov. in  
 vit. Leon. X.  
 Cabrera in  
 elog. Card.  
 Bembo in ep.*

A a 3

terum



Sæcul. XVI

A.C. 1523

terum Raphael Petruccius Arcis S. Angeli Præfectus ex Episcopo Grossetano absens Cardinalis tit. S. Susannæ renunciabatur, quem summus Pontifex plurimis cumulabat beneficiis, eidemque pinques redditus, & propriam Domum ad portam Vaticanam donavit. E vita migravit Senis in villa Bibbiani die decima septima Septembris, vel Decembris (ut testatur Ciaconius) Anno millesimo quingentesimo vigesimo secundo, sepultusque est in Templo FF. Prædicatorum, ubi hodiedum sepulcralis ejus inscriptio visitur.

## §. CXII.

*Mors Cardinalis Bernardini de Carvaiallo.*

Ciae. p. 170.

Andre. Viſt.

ibid.

Ughel. in

Ital. Sacr.

Panvin. de

Rom. Pont.

Aubery l. c.

Tertius erat Bernardinus Carvaiallus Cardinalis ad S. Crucem, Chartaginensis Episcopus, natione Hispanus, patria Placentinus, & alterius Cardinalis ejusdem nominis Nepos, qui Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo nono mortuus est. Bernardinus studiis operam navabat tum in Hispania, tum in Italia, ubi sub Cardinalis Patru sui cura ad Curia Romanæ leges educatus fuit, ibidemque tantos progressus fecit, ut ab Innocentio VIII. qui Viri merita sibi perspecta habuit, Nun-

Nuncius Apostolicus in Hispaniam legaretur, ubi Ferdinandus Rex Catholicus, atque Isabella eidem tanquam Legato suo Regni negotia Romæ procuranda commiserunt, quod munus ipse integra fide præstitit. Dein Innocentio fatis functo, pro solemnibus auspiciis conclave, cuius custodia ei demandata est, orationem habuit, atque ab Alexandro VI. qui in hisce comitiis Papa renunciatus est, Anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio inter Cardinales Presbyteros cooptatus fuit. Erat tum Chartaginensis Episcopus, prius vero Astruicensis, & Pax-augustanam, demum Seguntinam & Placentinam Ecclesias rexit. Eius quoque dexteritate utebatur Alexander VI. ut armorum societatem inter Regem Romanorum, Venetos, ac Mediolani Ducem foveret. Postea eandem ob rem in Germania legatione fungebatur sub Julio II. a quo cum se offensum existimaret, Pisas secessit, ibidemque aut vindictæ cupidine, aut ambitione incitatus ad partes Ludovici XII. Galliarum Regis, Maximiliani Imperatoris, aliorumque Principum, qui cum Papa similitudines habebant, defecit, ac conjunctione cum quibusdam Cardinalibus, pluribusque Prælatibus facta Anno millesimo quingentesimo undecimo Pisis concilia-

saecul. XVI.  
A.C. 1523.

Guicci. in hist.  
Thomas Com-  
sus in hist.

Sæcul. XVI  
A. C. 1523

bulum contra Papam indixit: quare Julius Viri temeritatem vehementer indignatus, illum in Concilio Romæ convocato purpura indignum declarabat, quem tamen Leo X. Anno post Christum natum millesimo quingentesimo decimo tertio pristinis honoribus restituit. Demum regnante Adriano VI. honorificis fungebatur officiis, & Cardinalis Ostiensis, ac sacri Collegii Decanus renunciabatur; Anno autem millesimo quingentesimo vigesimo secundo die decima sexta Decembris mortalitatem exiit, annos natus sexaginta septem: sepultus est in Ecclesia S. Crucis in Jerusalem.

## §. CXIII.

*Adriani Gouffier alias Boisii fata.*

Ciac. p. 244.  
Aubery l. c.  
Claud Robert Gallia  
Christ.  
Frizon in  
Gall purp.  
Joan Chenu  
de episc Gal.  
Ughel in ad-  
dit. ad Ciac.

Quartus, quem sacrum Purpuratorum Collegium hoc anno luxit, erat Adrianus Gouffier, alias Boisius. Is Patrem habuit Guilielmum Gouffier Boisfy Dominum, qui primum Regi a Cubiculis, Sanctonenſis Rector, necnon Caroli VIII. Regis, Annæ de Beuil, & Ludovicæ de Ambasia, quæ erat Calvimontii Principis filia, Gubernator extitit. Adrianus ex secundo Patris sui thoro genitus primo Thoracii Decanus, Burgoliensis, Cormeryensis, Deolfensis & S. Florentii Abbas, postea Constantienſis

sis in Normannia, & Albiensis Episcopus, Sæcul. XVI.  
 ac demum Cardinalis nominatus est, ad A. C. 1523.  
 tam amplas dignitates potissimum eve-  
 ctus per favores fratrum suorum, Mag-  
 ni Franciæ Magistri, & Admiralis. Ipse  
 etiam Franciscus Rex in colloquio Bo-  
 noniensi pro eo apud Leonem X. inter-  
 cesserat, ut purpura decoraretur, quam  
 etiam Papa illi in secreto Patrum Sena-  
 tu die decima quarta Decembris Anno  
 millesimo quingentesimo decimo quinto  
 concessit, & ne quid amplissimæ digni-  
 tati deesset, eidem quarto post an-  
 no in Gallia Legati Apostolici vices de-  
 mandavit. Rebus humanis ereptus est  
 in castro Villædei ad Ingerim Exodu-  
 nensis ditionis die vigesima quarta Julii  
 Anno Salvatoris millesimo quingentesi-  
 mo vigesimo tertio. Corpus ejus dela-  
 tum fuit ad Abbatiam Burgoliensem,  
 ubi sepulturam selegit.

§. CXIV.

*Grimani Cardinalis obitus.*

Quintus erat Dominicus Grimanus pa-  
 tria Venetus, Portuensis Episco-  
 pus, & Patriarcha Aquileiensis, Anto-  
 nii Grimani, qui defuncto Leonardo Lau-  
 redano Venetæ Reipublicæ Dux erat,  
 filius, natus die vigesima prima Julii, an-  
 no supra millesimum quadringentesimo

A a 5

sexa-

Sæcul. XVI.

A C 1523.

sexagesimo tertio. Præfuit is admodum juvenis præclaris omnino officiis, a Republica quoque selectus, ut cum tribus aliis Nobilibus Fridericum IV. per Venetorum ditionem comitaretur: Anno autem Salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio Mense Septembri ab Alexandro VI. Cardinalis creatus perennem sibi laudem comparavit ob amorem Antonio Grimano Patri suo exhibitum; nam hic eo tempore S. Marci Procurator, ac navalis exercitus Dux, maximi meriti Vir, cum a Turcis profligatus Naupactum deditioe cederet, in carcerem detrusus, durius habebatur: verum ejus filius pro Patre in vincula conjici petiit, cum autem id ei a Judicibus negaretur, omni, quo potuit, obsequio Patrem veneratus, carceris scabellam ascendentem adjuvit, suisque manibus compedum pondera sustinuit, precibus contendens, ut in ipsa Cardinalis purpura Parenti suo inservire permitteretur. Post hæc ille, cum e Patria exulatum abire cogeretur, Romam ad filium Cardinalem contendit, a quo receptus, omni sollicitudine alebatur, donec invidia in eum venetiis conflata deferveret. Postea patriæ redditus, Lauredano Venetorum Duce fati functo, unanimi omnium consensu jam ferme nonagenarius ipse Reipublicæ Princeps creatus est.

*Ciac. p. 180.**Franc. San-**sovin. in hist.**Ven.**Ugh. in Ital.**sacra.**Scipio Am-**mirat in hist.**Florent.**Pauvin. de**Rom. Pont.**Aubery l. c.**Paul. Jov.**in elog. l. 5.**Addit ad Ci-**acon. p. 181.**Spond hoc**anno n. 24.*

est, quam dignitatem viginti circiter mensibus gessit, eique Andreas Grittus successit. Porro Grimanus Cardinalis præclara admodum obsequia Reipublicæ præstitit. Obiit eodem, quo Pater suus, Anno millesimo quingentesimo vigesimo tertio die vigesima septima Augusti, annos natus sexaginta tres, sepultusque est Romæ in Ecclesia S. Marci, in qua sibi suæque familiæ sepulcrum paravit. Ceterum vir erat literis additissimus, & Bibliothecam octo millium voluminum instructissimam habuit, ac ipsemet non nulla ingenii sui monumenta reliquit nondum tamen typis impressa, inter quæ numerantur quædam Homiliæ S. Joannis Chrysoctomi ex Græco in latinum versæ.

æcul. XVI.  
A. C. 1523.

§. CXV.

*Grassi Cardinalis extrema.*

Ultimus denique ac sextus erat Achilles Grassus Bononiæ, ac Civitatis-veteris Episcopus ex quadam nobilissima Bononiensium familia ortus: operam navabat tam Canoniciæ, quam civili jurisprudentiæ, tantamque doctrinæ laudem sibi comparabat, ut Romæ audiendis Rotæ causis præficeretur, ac paulo post Civitatis-veteris Episcopatu augeretur. Decreyerat quoque illum Julius

Ciac. p. 296.  
Sigon. de  
Ep Bon. l. 4.  
Ugh. in Ital.  
sacra.  
Panvin. de  
Rom. Pont.  
Aubery l. cit.

**Sæcul. XVI** Julius II. Sedis Apostolicæ nuncium ad  
**A.C. 1523.** Gallos, Helvetios, ac denique ad ip-  
 sum Maximilianum I. Cæsarem, eum-  
 que Anno millesimo quingentesimo un-  
 decimo Cardinalem, postea Bononien-  
 sem Episcopum nominavit, non sine in-  
 genti popularium suorum lætitia, qui  
 eum cum summa pompa, ac maximis  
 gaudii signis exceperunt. Instauravit is  
 ibidem Episcopalem aulam, quam Galli-  
 a Bentivoliis acciti combufferunt. Dein  
 a Leone X. Conclavis thesaurarius ele-  
 ctus, pro officii sui munere quotanis so-  
 lemne anniversarium pro Cardinalibus  
 vita functis celebrari proposuit, quod  
 effectui datum atque hodiedum religio-  
 se observatur. Mortuus demum Somæ  
 die vigesima secunda Novembris Anno  
 Domini millesimo quingentesimo vige-  
 simo tertio, & sepultus est in Basilica S.  
 Mariæ Trans Tyberim. Illius obitus  
 diem Ciaconius, & Garimbertus ad vi-  
 gesimam nonam ejusdem mensis revo-  
 cant. Ad Achillem Grassum datæ le-  
 guntur nonnullæ Leonis X. literæ, quas  
 Cardinalis Petrus Bembo suæ episto-  
 larum collectioni inseruit.

## §. CXVI.

*Antonii Nebriffensis mors.*

**A**nno priori diem supremum obiit secun-  
 da

da Julii Antonius de Nebriffa, ita nominatus a natali solo, quod est oppidum Quadalquiviræ in Andalusia situm, & a latinis *Nebriffa* dictum, unde hic Scriptor *Nebriffensis* cognomen adeptus est. Primam lucem aspexit Anno Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto, ejus Pater fuit Joannes Martinus de Cala, Mater vero Catharina de Xanara. Is Studiorum curriculo Salmanticæ emenso, Bononiam venit, ubi in Collegio Hispanorum, quod Cardinalis Albornozius erexerat, literis humanioribus, jurisprudentiæ, linguis, ac Rhetoricæ operam dedit, postmodum vero ad Alphonsi Fonseca Hispalensis Archiepiscopi preces in Hispaniam reversus, latini sermonis barbariem eliminare conabatur, atque in Universitate Salmanticensi viginti octo propemodum annis Grammaticam, necnon Rhetoricam publice tradidit, atque Regum Hispaniæ historiam conscripsit. Demum operam suam Ximenio Cardinali sacrabat, a quo ad Complutensem Universitatem admiffus Polyglottam illius elaborare jussus est. Ex uxore sua, quam Salmanticæ duxerat, sex filios suscepit præter unicam filiam, quam omnis generis scientia ita erudit, ut Patre suo Compluti docere præpedito, ipsa ejus vices ageret, & publice prælegeret.

Sæcul. XVI.

A.C. 1523.

*Dupin. Bibl.**des Aut. tom.**XIV. p. 120.**Nic. Anton.**Bibl. Hisp.**tom. I. p. 106.**§ 107.**Claud. Verd.**omn. Aut.**p. 30.*



Sæc. XVI.  
A.C. 1523.

§. CXVII.

*Nebriffensis opera.*

*Baillet. ju-  
gem. des  
Scav. tom. 3.  
pag. 81.*

Posteritati reliquit Nebriffensis Lexicon Latino-Græco-Hebraicum & Rhetoricam ex Aristotele, Cicerone, & Quintiliano excerptam, necnon varios commentarios in Virgilium, Persium, Juvenalem, & Plinium, item in hymnos Prudentii edidit. Insuper tractatus de ponderibus, mensuris, & priscorum numeris scripsit, & Cosmographiam, Lexicon de jure, & Medicina: *duas decades rerum a Ferdinando & Isabella Catholicis Regibus gestarum*, necnon duos libros de bello Navarrico composuit. Ceteris vero Theologicis ejus operibus palmam præripuit ipsius *explanatio critica in sacrae Scripturae loca*, quam in centum quinquaginta animadversiones divisit, earum tamen nonnisi quinquaginta ad nos pervenerunt Parisinis, Antwerpensibus, ac Basileensibus literis excusæ, ac libro de magnis Angliæ criticis infertæ habentur. Ibidem exponit singulares verborum sensus, propriaque nomina, quorum in sacro Codice occurrentium significatio vel incognita, vel perperam a latino interprete versa fuit. Crispin adhibet in hoc opere ingenti profusus eruditione copiosam, ac curiosissimis

mis profanorum Scriptorum citationibus refertam. Adscribuntur etiam eidem quædam Homiliæ, expositio hymnorum & Orationum, quæ in Ecclesia decantari solent. Præterea quosdam ex epistolis D. Pauli, S. Petri & SS. Jacobi & Joannis, necnon ex Prophetis textus dilucidavit, ac collectionem Homiliarum in Evangelia scripsisse fertur.

Sæcul. XVI  
A.C. 1523.

§. CXVIII.

*Palinodia Arnoldi de Bornoffio Ord.  
FF. Eremitarum S. Augustini.*

Hoc anno die septima Mensis Julii Patet Arnoldus de Bornoffio ex Ordine FF. Eremitarum S. Augustini Theologice Doctor ex Parisiensis Facultatis Theologicæ jussu quasdam revocavit propositiones, quas in Scholis epistolam D. Pauli explicando protulit. Erant autem sequentes: I. Videtur post contritionem & satisfactionem Deus a peccatoribus nullam requirere pœnam aut satisfactionem, eoquod Christus sufficienter pro peccatis nostris satisfecisset, & debitam persolveret pœnam. II. Videtur, non fieri in dimissione culpæ mortalis commutationem pœnæ æternæ in temporalem, sed potius ubi culpa dimittitur, simul & merito passionis Christi omnis pœna tollitur. III. Non propter

Argent. Col-  
lect. jud. t. I.  
p. 403.  
Dupin. Bibl.  
des Aut. Ecc.  
t. I 2. p 213.

Sæcul. XVI. A.C. 1523. *pter alia peccata poni debet purgatorium, quam propter peccata mortalia oblita, & venialia, de quibus nulla habetur contritio. IV. Nec libri Machabæorum, in quibus de purgatorio fit mentio, de Canone sunt apud Ecclesiam.*

Cum igitur Facultatis Doctores perbene nossent, hasce propositiones die sexta Julii post meridiem ab hoc Religioso publice tradendas, ideo illum hora matutina die lunæ adesse iusserunt, præcipientes, ut has propositiones nullatenus proferret, sed D. Paulum juxta mentem Ecclesiæ explicaret.

Cum vero Religiosus huic mandato integra fide non obsecundasset, Doctores circiter numero quadraginta, cum ex ejusmodi doctrina Auditorum non paucos fuisse offensos comperissent, altera die, quæ erat feria tertia, hora septima congregati unanimi omnium consensu decreverunt, quod hic Religiosus eadem die in lectionibus suis, quibus Decanus aliique Deputati, necnon Universitatis Ministri Apparitoribus (Bidellos vulgo vocant) virgas suas tenentibus adessent, clara voce, eoque tenore, quo præscriberetur, rursus doctrinam suam revocaret: si vero id renueret, ei pœna perjurii, ac perpetuæ expulsionis a Facultatis gremio indiceretur, si ta-  
men

Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.

men vero adhuc pertinax perfisteret, ad graviora juris remedia recurreretur. Attamen Frater Arnoldus se doctrinam suam revocaturum sponndit: Ergo hora præstituta Decanus aliique duodecim Magistri Fratrum Augustinianorum Conventum accedunt, eisque, atque aliis Viris genere, ac scientia conspicuis præsentibus Arnoldus retractationem suam perlegit hunc in modum: *I. Post contritionem & confessionem a peccatoribus regulariter Deus pœnam requirit satisfactoriam. II. In remissione culpæ mortalis pœna æterna in temporalem commutatur. III. Purgatorium asseritur non solum propter peccata oblita, & venialia non contrita, sed & propter alia, de quibus nondum Deo plene satisfactum. IV. De libris Machabæorum satis exploratum est, pro Canonicis illos haberi. Jubebatur insuper profiteri, Ecclesiam Universalem nunquam errasse in fide, nec unquam docuisse, quod Virgo gloriosa fuerit concepta in peccato originali.*

§. CXIX.

*Ludovicus de Berquin hæresis accusatus.*

Eadem Facultas hoc anno itidem damnavit libros Ludovici de Berquin. Is erat Nobilis Flander, seu potius Arthesinus, Vir ceteroquin probus, in ami-

*Beze hist. Eccl. l. 1. Crespin. vit. martyr. E. ras. l. 24. ep. 4. p. 1277. & Hist. Eccles. Tom. XXXIV. B b cos l. 30. ep. 48.*

Sæcul. XVI. A.C. 1523. cos suos liberalis, erga pauperes beneficus, & exacte boni Catholici partes explens: Cum vero Monachis, ac Theologis Scholasticis plus æquo offensus esset, & tam hos quam illos liberiori lingua proscinderet, primo graves adversus eum movebantur querelæ, postea tanquam hæreticus, ac Lutheri fautor accusabatur: Præcipue autem illi crimini dabatur, quod Verbi divini Præconum consuetudinem reprobasset, qua neglecta Spiritus sancti invocatione, Beatissimam Virginem invocarent, in hoc tamen haud graviter errasse videtur. Pariter eidem objectabatur, quod doceret, Virginem Mariam non esse appellandam fontem gratiæ, nec in vespertina Antiphona salutandam esse his verbis: *Vita nostra, & spes nostra, id enim, aiebat ipse, aptius convenit Christo, nec ejusmodi consuetudini sacrae Paginae suffragantur.* Denique accusabatur, quod nonnullos Erasmi libros non modo Gallice reddiderit, sed etiam plura de suo adjecerit.

## §. CXX.

*Berquini libri a Parlamento suppressi,  
& causæ hujus judicium ad Facultatem remissum.*

*Argent. l. c. p. 406.* Hujus causæ cognitionem in se suscipit Parlamentum, ac die decima tertia

tertia Maji Berquini libros auferri, at- Sæcul. XVI.  
 que ad Parisinam Theologiæ Faculta- A. C. 1521.  
 tem, ut de iis iudicium suum proferret, Chevill. de  
 deferri iussit. Reperiebantur in domo Corig. de  
 liber de abroganda Missa, aliaque Lu- l'imprim.  
 theri & Melanchtonis opera præter se- p. 176.  
 ptem vel octo tractatus, quos ipsemet  
 conscripsit: uti sunt: *Speculum Theolo-*  
*gastorum de usu, & Officio Missæ; Ra-*  
*tiones Lutheri, quibus omnes Christianos es-*  
*se Sacerdotes suadere molitur; Certamen in-*  
*ter pietatem & superstitionem* Alii præ-  
 terea inveniebantur libri, ab eo Galli-  
 ce redditi, quales erant: *Rationes, pro-*  
*pter quas Lutherus Decretales, ceterosque*  
*Juris Pontificii libros publice igni tradidit;*  
*Trias Romana; & Paradisus Papæ* præter  
 alios quosdam tractatus: Igitur Facul-  
 tas Theologica in hisce libris a se exa-  
 minatis hæreses, ac Lutheri blaſphe-  
 mias disertis verbis contineri pronuntia-  
 vit, hocque suum iudicium sexta die  
 vigesima sexta Julii Anno millesimo quin-  
 gentesimo vigesimo tertio desuper dedit,  
 & illud ad Parlamenti Curiam dire-  
 xit. Demum, postquam quemlibet Ber-  
 quini librum speciali censura perstrin-  
 xerat, conclusit: *Omnes illius libros esse*  
*igni concremandos: ipsum vero Berquinum,*  
*quoniam Lutherancæ impietatis accerrimus*  
*esset propugnator, ad publicam abjurati-*  
*onem via juridica compellendum; eidemque prohi-*

B b 2

ben-

Sæcul. XVI. bendum, nec posthac attentet componere, aut  
A.C. 1523. e latino in vernaculum sermonem quicquam  
 transferre, quod in præjudicium fidei ca-  
 tholicæ vergat.

## §. CXXI.

*Hujus causa per Parlamenti edictum  
 ad Parisiensem Episcopum delata.*

*Argent. l. c.  
 Chev. l. c.  
 Ex 1. Regist.  
 MS. censur.  
 sacre Facult.  
 Par. fol. 100  
 & 179.*

**H**anc in rem Parlamentum promulga-  
 to edicto præcepit, ut facultatis  
 sententia Berquino significetur: Ille au-  
 tem ad Doctorum judicium tam calamo,  
 quam lingua præsentibus etiam Judici-  
 bus respondit, hinc cognita illius perti-  
 nacia die prima Augusti captus est, &  
 quarto post die aliud edictum adversus  
 eum hunc in modum emanavit. Exa-  
 minatis a Curia quibusdam libris a Ludovi-  
 co Berquino nunc in carcere incluso compo-  
 sitis, vel Gallice redditis, constat, quod  
 præfatus Berquinus hæresin ac damnatam  
 Martini Lutheri doctrinam velit sequi, ac  
 tenere: quapropter ejusmodi libri Curia  
 jussu, & petente Procuratore Generali ad  
 illius forum delati, necnon præsentibus Ber-  
 quino, ac quibusdam Consiliariis ad id de-  
 putatis Doctoribus Parisiensis Theologicæ  
 Facultatis traditi fuere: Visi igitur judi-  
 cis ac præfatæ Facultatis deliberatione, ip-  
 sisque Berquini responsis scripto ab eodem  
 Procuratore Generali exhibitis, postquam  
 cuncta

cuncta ista Procuratori Generali per edictum Sæcul. XVI. A.C. 1523.  
 Curie tradita, & ipse Berquinus iterato in  
 pleno Curie Confessu auditus fuisset, præ-  
 cepit eadem Curia, ut Ludovicus Berqui-  
 nus unacum libris suis ad Parisiensem Epi-  
 scopum remittatur, qui duos dictæ Curie  
 Consiliarios, ac nonnullos Facultatis Theo-  
 logicæ Doctores advocet, ut communi opera  
 circa ipsum factum, & crimina, de quibus  
 accusatur, sententia feratur. Post hæc die  
 octava Augusti Rex Berquinum ex Epi-  
 scopali carcere per Fridericum Tribu-  
 num extrahi, caussamque ad Regium  
 Consilium evocari jussit, ubi a Cancel-  
 lario judicatus ac condemnatus fuit, ut  
 quasdam propositiones hæreticas abju-  
 raret, quod & præstitit.

## §. CXXII.

*Parisiensis Parlamenti edictum adver-  
 sus Lutheri libros.*

Die duodecima Mensis Augusti eodem Argentor pag. 407.  
 Anno Parlamentum adversus Lu-  
 theri libros aliud promulgavit edictum  
 hujus tenoris: Cum Procurator Gene-  
 ralis libros a Martino Lutero compo-  
 sitos, utpote pluribus erroribus ac dam-  
 natis hæresibus refertos comburi postu-  
 lasset, omnibus & singulis cujuscunque  
 status ac conditionis prohibemus, ne  
 præfatos libros & Lutheri doctrinam vel

B b 3

reti-



Secul. XVI  
A.C. 1523

retineant vel allegent, quocirca singulis præcipimus, ut intra triduum ad Curiae nostræ forum prædictos libros afferant, atque deponant, sub poena carceris, & bonorum proscriptionis Laicis, Ecclesiasticis vero sub poena exilii extra Regnum, & proscriptionis bonorum temporalium. Statuimus igitur, ut *perspectis Theologicæ Parisiensis Facultatis* iudicio hac de re lato, necnon præfatis libris, ac conclusionibus a Procuratore Generali scripto datis, omnes libri a Lutthero compositi tanquam damnati in atrio Templi ad Beatam Virginem publice igni concrementur, atque ut hoc fiat, Regis ac Curiae nostræ auctoritate singulis cujuscunque status ac conditionis præcipimus, ut omnes, quotquot habent, Luttheri libros sequenti feria sexta ad præfatum locum & forum deferant, ac relinquunt, quo termino evoluta pœnam incurrant bonorum confiscationis, & proscriptionis a Regno. Injungimus quoque cunctis Judicibus, & Ministris, ut omnes illos, quos aut dicti Luttheri doctrinam tenere, vel allegare, aut illius libros retinere deprehenderit, comprehendant, captosque velut de hæresi suspectos Episcoporum manibus consignent. Hoc edictum in præcipuis Urbibus Parlamenti jurisdictioni obnoxiiis, veluti Parisiis, Lugduni, aliisque civitatibus promulgatum fuit.

§. CXXIII.

§. CXXIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.

*Aliud edictum contra Melanchtonis libros.*

Eodem die Parlamentum per edictum prohibuit, ne quisquam doctrinam in Philippi Melanchtonis libris contentam retineat, alleget, vel defendat, indicta centum marcarum argenti pœna, necnon arbitraria castigatione. Mandavit insuper, ut ejusmodi libri ad Curiaë tribunal deferantur, ac Parisiensi Episcopo tradantur, qui convocatis quibusdam Facultatis Parisinæ Doctoribus hos libros discutiant, ac judicium suum desuper ferant. Igitur vi hujus edicti Theologica Facultas Melanchtonis libros examinavit, eosque damnavit, tanquam plurima continentes dogmata, quæ sanæ doctrinæ, vero illius sensui, Conciliis, atque Universalis Ecclesiæ fidei, necnon Catholicorum Doctorum sententiæ omnino contraria sunt: Præterea eosdem libros propositionibus schismaticis, hæreticis, & jamjam damnatis plenos esse, ac perversa Lutheri dogmata continere declaravit, ut proinde magis noxii forent, quod Auctoris nomen suppressum, & sermonis nitore conspicui essent.

*Argent. l. c.  
Ex 1. Regist.  
Fac. Paris.  
fol. 209.*

B b 4

§. CXXIV.

Sæcul. XVI.

A. C. 1523.

§. CXXIV.

*Censura Facultatis Theologicæ contra hos libros.**Argente  
l. cit. p. 408.*

In hac censura, quæ die sexta Octobris Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo tertio lata est, libri a Facultate damnati speciatim nominantur; nimirum: *Loci communes rerum Theologicarum*, *Liber commentariorum in epistolam D. Pauli ad Romanos*, & in duas epistolas ad Corinthios; liber, qui inscribitur: *Adversus furiosum Parisiensem Theologastorum Decretum*; Alius, cui titulus: *Philippi Melanchtonis declamatiunculæ duæ in D. Pauli doctrinam*. *Alia epistola ejusdem Melanchtonis de Theologica disputatione Lipsica*. Ex quovis hoc libro Facultas quasdam extraxit propositiones, quas singulari nota condemnavit, ut censuræ suæ æquitas magis elucescat.

§. CXXV.

*Propositiones damnatæ ex Melanchtonis operibus excerptæ.*

Igitur ex libro *de locis communibus* septendecim excerptit propositiones, quas inter prima est: *Palam hæretica est Constitutio: ad abolendam, de Hæreticis. Quæ execratur omnes, qui de Sacramentis*

mentis aliter sentiunt, aut docent, quam vel docet, & observat Romana Ecclesia. II. Lugdunense Concilium, quia libros Decretalium comprobavit, pro impio haberi debet. III. Non est Christianus, qui litigat: seu contendere iudicio Christianis non licet. IV. Ipsos Sacerdotes quoad lites pertinet & iudicia, subiecit jus Divinum Magistratibus civilibus, Regibus, & Principibus. V. Nulum est sacrificium in Christianismo, & sumus omnes Christiani Sacerdotes. VI. Ordo, Matrimonium, & extrema unctio non sunt Sacramenta. VII. Qui Missas ideo faciunt, ut bonum aliquod opus faciant, ut Deo Christum offerant pro vivis ac mortuis, impie errant. VIII. Impia docent, qui censent peccare eum, qui Horas Canonicas non legerit, qui carnem ederit die sexta aut septima. IX. In quibus Spiritus Christi inest, hi prorsus ab omni lege liberi sunt. X. Satisfactio nulla est præter Christi mortem. XI. Episcopi non habent jus condendi leges; Exstant abominabiles Pontificiarum legum codices. XII. Pœnitentia non est signum, nisi obscurum; omnium reffissime baptismus vocatur Pœnitentiæ Sacramentum. XIII. Votum neque præcipit, neque consulit Scriptura. Non autem probat Deus, nisi quæ præcipit, vel consulit. XIV. Quandoquidem omnia, quæ eveniunt, necessario juxta divinam prædestinationem eveniunt, nulla est voluntatis nostræ liber-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.

Ex I. Regi-  
stro MS. fa-  
cult. Paris.  
fol. 200.

Secul. XVI. tas. XV. Errat Hieronymus, vetans circumcissionem. XVI. Nulla est perfectio peculiaris in instituto Monastico. XVII. Paupertas ab omnibus Christianis exigitur Jure divino; nec tantum ad Monachos pertinet.

Ex libro Commentariorum in epistolam ad Romanos, & duas ad Corinthios depromptæ fuere triginta propositiones. I. Necessario omnia eveniunt omnibus creaturis. II. Ridiculum est commentum, esse liberum arbitrium. III. Sententia Apostoli tollit omne meritum, sive ante sive post gratiam. Neque enim dicit Jussum vivere ex operibus, sed ex fide. IV. Nullæ hominum leges ligant, postquam jam justificati sumus. V. Non habet Papa jus condendæ legis alicujus. VI. Omnes Episcopi sunt pares. VII. Deus nos peccare facit. VIII. Facere, quod in nobis est, non est nisi peccare. IX. Dei proprium est Judææ proditio, sicut Pauli vocatio. X. Lex Dei impossibilia imperat. XI. In Ecclesia, neglecto Verbo Dei, error errorem peperit. XII. Si ultro emendas te, ut Ecclesiæ correctione opus non sit, non exigis jus Divinum confessionem. XIII. Absolutionem sive redemptionem peccatorum petere possumus. XIV. Satisfactiones nullæ sunt. XV. Nos a simplicitate Verbi Dei abstraxerunt, qui satisfactiones, Missas, & cardinales

nales justitias tradiderunt. XVI. Satis Sæcul. XVI.  
A.C. 1523. constat, nec in impiis viventibus, nec in damnatis esse fidem. XVII. Peccant Episcopi, qui tantum impertiuntur alteram speciem populo. XVIII. Duo sunt tantum Sacramenta, Baptismus, & Eucharistia, Reliqua sunt commenta hominum. XIX. Missa non est Sacrificium. XX. Signi, non Sacrificii vice nobis tradita est Eucharistia. XXI. Indigne accedunt ad Eucharistiam, qui nisi jam puri, & sanctificati confessione, & præparationibus accedunt. XXII. Illa sola & vera præparatio est, propter quam communices, si credas. XXIII. Fides est credere, quod Deo placeas: Credere, quod placet opus, quod facis. XXIV. Falsa est sententia, quod ordinata Charitas a nobis ipsis incipiat. XXV. Nulla doctrina, præter doctrinam Christi, non est perniciosa. XXVI. Fides justificat, non salvat. XXVII. Ratio fingit multas caeremonias. XXVIII. Non licet litigare, aut rem vindicare, aut accusare, etiamsi videatur pro te jus stare. XXIX. Si liberum Arbitrium operatur salutem, Deus non operatur. XXX. Cum justus ex Fide vivat, non ex operibus, tollitur omne meritum operum nostrorum, tum ante tum post justificationem.

Ex Melanchtonis libro adversus furiosum Parisiensem Theologastrorum  
Decre-

Sæcul. XVI. A.C. 1523. Decretum, extractæ sunt septem propositiones: *I. Lutheri nihil cum hæreticis convenit. II. Stat veritas Lutheranae doctrinae inconcussa adversus Rectores tenebrarum. III. A quadringentis ferme annis neminem habuimus in Ecclesia Scriptorem, qui rectam & propriam Pœnitentiæ formam prodiderit. IV. Locus est apertus in prima ad Corinthios, quo monstratur delictum esse repetere rem in judicio. V. Quæ sunt in assertionem articulorum a Leone X. damnatorum, impia judicari, non nisi ab impiis possunt. VI. Si quæris, quid contulerit Ecclesiæ Lutherus, habes summam rei; Veram pœnitentiæ rationem docuit, & usum. VII. Propemodum credo, non omnino temere dictum esse a quibusdam veteribus, cerebro Gallos carere. Ex epistola dicto libro annexa Facultas tres damnavit propositiones, quarum prima communionem sub una tantum specie carpit. Altera sic docet; non plus est credere Jesum Crucifixum, quam everfam a Romanis Carthaginem. Tertia denique dicit: Nemo communicatus ante Lutherum intellexit, in Sacramento Altaris fidem exercendam, & pascendam.*

Præterea Melancton in bina in D. Pauli doctrinam declamatione inquit, *Martinum Lutherum virum juxta pium atque eruditum, vereque Theologum tibi*

tibi commendo. Insuper absque omni ratione universas Theologiæ rationes condemnat, haud aliter differens, perinde ac si quid dicat, vel demonstret, prorsus nesciret, in has propositiones effusus.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1523.

I. Error est Philosophia. II. Cum lex vetet fræna laxare libidini, necesse est lex odio habeatur. III. Quid agit Paulus aliud de lege antiqua differens, quam nullo usu nostro animos emendari atque pacari? Nullo enim consilio, nulla arte animi morbum vinces. IV. Metum, tantum abest, ut virtutis materiam vocemus, ut ne vitio quidem liberare conveniat. Denique in epistola his declamationibus annexa inquit, Citra hæresis crimen est, non credi transsubstantiationem, aut characterem, aut similia. In epistola sua de disputatione Lipsiensi merito redarguitur, quod Lutherum infulse deprædicet, manifeste eidem suffragetur, ac petulanter effutiat: in Martino longo jam usu mihi familiariter cognito sincerum & pure Christianum animum non possum non laudare.

§. CXXVI.

Facultatis judicium de Lutheri hæresi a Franciæ Regina expetitur.

Cum frequentes admodum querelæ Argentorapud Reginam Francisci I. Matrem defer-

Argentre  
tom. 2. p. 2.  
& seq.



**Sæcul. XVI.** deferrentur, quod nimia facilitate perversa  
**A. C. 1523.** Lutheri doctrina, non sine grandi Religionis  
**Dupin. Bibl.** offensione in regno grassari permitteretur,  
**20. 13. p. 214.** ac nonnullæ Personæ in ipsa Regis Domo  
 sublimes ejusmodi erroribus faverent; ideo  
 Regina Patrem Gilbertum Nicolai Or-  
 dinis Minorum ad Parisiensem Faculta-  
 tem ablegabat, ut de duobus articulis,  
 quos explicari peteret, Facultatis con-  
 siliium ad eam referat, ad quod exe-  
 quendum Facultas quantocius nomi-  
 navit Natalem Bedam Syndicum. I-  
 stius ergo responsum die septima Octo-  
 bris Anno Christi millesimo quingente-  
 simo vigesimo tertio fuit approbatum,  
 eodemque tempore Facultas decisionem  
 suam datis literis ad Reginam Ma-  
 trem per eundem Patrem Nicolai de-  
 ferri curavit.

Primus, quem Regina discuti voluit,  
 articulus erat, *qua via damnata Lutheri  
 hæresis regno expelli & extirpari, regnum-  
 que ab hac sæce penitus expurgari valeat?*  
 Respondit Facultas, cum sermones, di-  
 sputationes, epistolæ, ac libri contra  
 hanc doctrinam singulis ferme diebus  
 ab Universitatis membris scripti, quam-  
 vis ceteroquin utilissimi, nondum tamen  
 huic malo remedium ponere valuerint  
 hinc Senatus regias literas Parisiensis  
 Parlamenti edicto consonas expediat, ac  
 præci-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1523.

præcipiat, ut hæc mandata executioni darentur, indictis etiam severissimis pœnis. Præterea cunctis Regni Prælatibus injungant, ut suarum Diœcesium fideles ad Lutheri libros in Curiam deferendos, ibidemque publice concremandos adstringant, necnon sub anathematis pœna ejusmodi libros retinere prohibeant. Denique in illos, qui hanc doctrinam tuentur, inquirent, & in eos, si pertinaces fuerint, severe animadvertant.

Secundo autem articulo interrogabatur, qua ratione eorum vindicari queat innocentia, qui perperam & sine ratione accusati fuerunt, quod præfatam doctrinam foveant, eique adhæreant? Reposuit Facultas, hunc rumorem inde fuisse ortum, quod Procerum plures hanc doctrinam in aula commendaverint, cunctos vero, qui eam reprobaverant, contumeliis affecerint, quin tamen, quid rei subit, adhuc intelligerent; præterea agebat Facultas, Regis mandata, quibus Lutheri opera comburi jubebantur, fuerunt neglecta, & ipse Senatus jam a Paschatis tempore Episcopis eorumque Ministris prohibuit, ne in Hæreticos inquirerent, eosque punirent; id ipsum quoque non ita pridem Sagiensi & Parisiensi Episcopis in causa

Ber-

Secul. XVI. Berquini contigit, cujus iudicium a Parlamento ad Senatum fuit evocatum; nec minus id factum fuit in Jacobi Fabri causa, dum ipsa Facultas fuit impedita, ne adversus illum sententiam pronunciaret, denique quod majoris adhuc offensionis lapis existit, nomine & auctoritate Regis duo tractatus, quos Hieronymus Angest adversus Lutheri errores composuit, vi ablati fuere: Illis ergo, quibus talia contigerunt, nullum aliud magis praesens, quo se vindicare possint, remedium superest, quam ut D. Pauli exemplum imitentur, qui dum Ecclesiam insequabatur, probavit, quod damnaverat, & damnavit, quod antea probaverat: proin omnino necessitas suadet, ut contra haereticos procedendi jus Episcopis cum plena libertate relinquatur. Haec responsio fuit approbata, & in quodam Facultatis conventu die septima Octobris, celebrato subscripta.

## §. CXXVII.

*Bedae tractatus contra apologiam  
Origenis a Merlino concin-  
natam.*

Sub idem tempus lis exorta est inter Jacobum Merlinum Theologiae Doctorem, Parisiensis Ecclesiae Pœnitentiarium,

rium, & Natalem Bedam Facultatis Theologicæ Syndicum, Virum suo ævo longe pertinacissimum, ac ad ciendas turbas maxime proclivem, prout illi Erasmus non raro objecerat: Cum igitur Merlinus Origenis opera Anno Christi millesimo quingentesimo undecimo publici juris faceret, atque hujus operi apologiam præfigeret, qua Origenem ab erroribus imputatis immunem defendere nitebatur, Beda hanc Apologiam confutare ac unacum alio quodam Doctore, Maffeo nomine contra Merlinum scribere aggrediebatur. Non defuere Doctorum nonnulli, quibus Bedæ consilium minus probabatur, ac palam edicebant, quod Bedæ nullum jus competeret, vi cujus adversus apologiam pro Origene a Merlino editam sententiam suam ferret. Interim dum hæc agebantur, Beda scripsit tractatum, cui titulus: *Documentum, quo docetur nullum Theologum arceri debere ab examine fidei, nisi fuerit suspectus in fide*; idque pluribus comprobavit argumentis, prout sequuntur: I. Ex dispositione juris naturalis, divini & humani quilibet Doctor potest ferre suum judicium in materiis Religionem concernentibus. II. Hoc judicium duntaxat ad doctrinas, non autem ad personas se extendit. III. Dum Doctrina juxta veritatis leges erit dis-

*Hist. Eccles. Tom. XXXIV. C c* *cus-*

Sæcul. XVI  
A.C. 1523

cussa, illius Auctor appellari & audiri potest, si illam tuetur. IV. Distinguendum est inter Auctoris, & veritatis causam. V. Nullus Theologus arceri debet ob examine fidei, nisi sit suspectus in fide. VI. In materia hæresis nullus Doctor a iudicio doctrinæ rejici potest, imo etiam inimici, & infamia notati accusatores agere possunt. VII. Soli illi tanquam suspecti rejici valent, ubi agitur de Personis, non vero de doctrina, seu libris. VIII. In præsentis rerum statu non excludi debent illi, qui de fide suspecti non sunt; hoc enim pacto impedirentur censuræ contra novas doctrinas statutæ. Facultas igitur Bædæ dialogos approbavit, suppressit vero Apologiam pro Origene scriptam.

§. CXXVIII.

*Censura quarundam propositionum  
contra cultum Sanctorum.*


*Argentore  
to r pag.  
coll. 2.*

Exeunte hoc anno die secunda Decembris Facultas Theologica quasdam etiam damnabat propositiones, quæ ad eam deferebantur, ac venerationem Sanctorum, Reliquiarum, & imaginum cultum necnon canonem Missæ, & oblationes pro vivis & defunctis tangebant. In hac ergo censura præprimis illos, qui in principio sermonis ad populum

Sæcul. XVI.  
A.C. 1523.

pulum consuetudinem *Ave Maria* dicendi carpunt, & illam ad Beatam Virginem orationem, in qua Regina cœli appellatur, superstitionem vocant, Universitas reprehendit, & Sanctos esse nostros apud Deum Mediatore, ac proinde preces etiam nostras ad illos dirigendas approbat, eosque, qui plus honoris Sanctis, quam Deo ab Ecclesia tribuunt, mendacii redarguit, nec minus perstringit illos, qui sacras Reliquias venerandi, easque publice exponendi usum traducunt. Idem Doctores damnant hanc propositionem, *putare, quod unus Sanctorum citius aut libentius unam infirmitatem curet, & adjuvet, omnino superstitiosum est.* Præterea Universitas imagines adorari admittit, dummodo id quantum ad cultum, qui eis exhibetur in sano Ecclesiæ sensu intelligatur. Reprobatur etiam, quod cuncta, quæ in Historiis, ac Sanctorum miraculis leguntur, vilipendantur, vult tamen, ut ea, quæ fabulam sapiunt, corrigantur. Insuper contra impia verba, quibus Lutherani Canonem Missæ abrogare moluntur, acriter invehitur, atque inquit, quod non omnibus fidelibus promiscue permittatur Sacri Codicis lectio, nec eis licita sit quædam de fide disputatio, nec etiam populo, ut in lingua Gallica Symbolum Nicænum in Missa de-

**Sæcul. XVI** cantet, Universitas concedit, & repre-  
**A C. 1523** hendit eos, qui affirmare ausi sunt: *U-*  
*bi Lutherus bene dixit, ibi nemo melius.* De-  
 nique usum ex titulo Eleemosynæ pro  
 Missa stipendium dandi, vel colligendi,  
 ut Deus pro vivis & mortuis exoretur,  
 eadem admittit, & approbat officium  
 Defunctorum, & anniversaria. Pro-  
 mulgata est hæc censura præsentis U-  
 niversitatis Rectore, Regiisque Con-  
 siliariis, aliisque plurimis  
 testibus.



HISTO-